GASP. SCIOPPII
CONSILIVM REGIVM

IN QVO

A duodecim Regibus & Imperatoribus Catholico Hispaniarum Regi demonstratur, quibus modis omnia bella feliciter profligare possit.

ACCESSIT

Stemma Augustæ Domus AVSTRIAE

Veram eius partim ab antiquissimis Vindonissæ Comitibus, partim à Catholicis Gothorum & Hispanorum Regibus originem locupletissimis monumentis testatam exhibens.

ITEM

Classicum Belli Sacri.





TICINI

Typis Petri Bartholi, Anno M. DC. XIX.

CHRISTIANISSIMO CATHOLICO ET APOSTOLICO MONARCHÆ

PHILIPPO TERTIO

AVSTRIO. BVRGVNDICO. BELGICO.
GOTHICO. HISPANICO. INDICO.
BALEARICO. SARDICO. SICVLO.
NEAPOLITANO. INSVBRICO.

MAGNO MEXICANI ET PERVANI
ORBIS IMPERATORI.

OCEANI

ET INNVMERABILIVM IN EO
INSVLARVM
TVM CLAVSTRORVM AFRICÆ
ATQVE ASIÆ

DOMINO

INCLITO. PIO. FELICI. PATRI
PATRIÆ

DEVOTVS NOMINI MAIESTATIQVE
EIVS

GASPAR SCIOPPIVS



DOMINE



NGENTEM à te hoc tempore classem instrui, & magnũ haud dubie bellũ diligentissime cõparari, per vniuersam Europã fama percrebuit. Et boni quidem omnes bonaq; fide Catholici animis ac linguis Maiestati Tuæ fauent, vtq; quod agis prosperè & ex sententia procedat, comprecãtur. Qui verò Christi & Ecclesiæ Romanæ hostes, qui hostium Christiani nominis fœderati, qui denique sectariorum beneuolentes sunt, suumq; patrociniũ eis profitentur, quicquid olim meruerunt, aliquando exspectant, & nullo non dirarum genere consilia tua conatusq; prosequuntur. Quid mihi sit animi, nihil apud Te cõmemorare attinet. Nec enim heri aut nudiustertius, sed iam pluribus abhinc annis meam erga Ecclesiam Catholicam, erga Augustam domum Austriam, erga Te ipsum denique fidem ac deuotionem tibi cognitissimam esse, apud Consiliarios & interioris admissionis Cubicularios tuos, præcipue verò apud Serenissimam & religiosissimam materteram tuam MARGARITAM AVSTRIAM, Sacratissimi D. N. Imperatoris germanam, fassus es. Hoc amplius autem & habito mihi honore lõge meritis meis maiore, & regiam in me munificentiam assiduè exercendo, cumulatissimè præstitisti, quod mihi, cum me admissum incredibili humanitate au-

diuisses, polliceri te memini, te quæ tua de me esset existimatio, rebus ipsis mox declaraturum. Non igitur necesse habeo vereri, ne parum Tibi probē, quod Tibi in tātæ molis expeditione nunc occupato consilium subijcere non dubitem. Nimirum nec morem meū constanter obtinerem, nec Fidei, quam AVSTRIÆ domus Consiliarius profiteor, satisfacerem, nec deniq; regiæ tuæ erga me liberalitati grata voluntate responderem, si nunc hoc rerum articulo dissimularem, quæ à Te sciri ac probe obseruari Tua totiusq; AVSTRIÆ domus cum hoc tempore, tum etiam in posteritatem vehementer interesse statuo. Sed quoniam simul mihi in mentem venit, Tibi spectatissimæ fidei ac prudentiæ Consiliarios minimè deesse, inter quos clarissimi nominis Heroas D. Petrum Toletanum, & D. Baltasarem de Zunica familiarius noui, quodq; eorum nobilitas, ingenium, rerum vsus, & erga me multis testata documentis beneuolentia postulat, honoris causa nomino: ne tāquam præsente Roscio, nihil iustam impudentiæ reprehensionem veritus, gestum agere in scena velle videar, haud quicquam ad te afferre cogito, quod ex me potiùs natum, quàm ab ijs profectum existimari debeat, quorum prudentiæ, multis rebus in otio ac negotio prosperè gestis illustrissimæ, nemo quantacumq; eius virtutis laude polleat, non sit vltrò fasces submissurus.

De Alfonso Aragonum ac Neapolitanorum immortalis memoriæ Rege, ataui tui fratre germano, literis proditū est, dicere fuisse solitum, omnium opptimos

ptimos

timos Consiliarios esse mortuos. quod mihi perinde de hominibus, quorũ dicta ac facta literis sunt consignata, quàm de libris, præcipueq; Historicis, verè ac præclarè dictum videtur. Quæ enim alijs ante nos contigerunt, non aliã ob rem stilo sunt signata, nisi vt inde discamus, nobis quid ex vsu sit. De similibus enim simile fieri iudiciũ, verũ est. *Omnia* (ait Apostolus) *Contingebant* veteribus *illis in figura, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt*. Et Salomo Ecclesiast. 1. *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, Ecce, hoc recens est, iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Et cap. 7. *Ne dicas, Quid putas causæ est, quod priora tẽpora meliora fuere, quam nunc sunt? Stulta enim est huiuscemodi interrogatio.* Quoniam igitur *totus mundus* (vt ait quispiam veterum) *agit histrioniam*, & eadẽ semper luditur fabula seu Comœdia, mutatis tãtum histrionibus: propterea nos spiritus sanctus faciendorum ac fugiendorum consilium à veteribus petere iubet. Deuter. 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Et Iob. 8. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam (hesterni quippe sumus & ignoramus) & ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.* Vides, Rex optime, quos tibi spiritus sanctus Consiliarios designet atq; à te consuli velit, Maiores nimirum tuos, aliosq; veterum, qui multis

1. Cor. 10.

abhinc

abhinc sæculis abierunt in communem locum.

Age igitur animo & cogitatione finge, tibi nunc à Deo duodecim maximorum Regum & imperatorum Senatum dari, Iosuæ puta, Gedeonis, Asæ, Iosaphat, Amasiæ, Theodosij Magni, Iustiniani, Caroli Magni, Henrici Aucupis, Othonis Magni, Rudolphi primi & Caroli quinti. His nunc vti potes Cõsiliarijs, ad quos si referas, vt tibi subijciant, quæ ad bellum, quod pro tuenda Dei Christianiq; nominis gloria & ad compescendos perduellium conatus suscipere cogitas, feliciter profligandum necessaria, ac vel præstanda vel cauenda videantur, singulos in eam, quæ sequitur, sententiam censere existima.

S. IOSVE MAGNVS HEBRÆORVM DVX.

Iosua 7. HAud te, opinor, præterit, me Dei iussu iustissimũ Palæstinæ incolis bellũ intulisse, mihiq; multiplices victorias ac triũphos a Deo sępius promissos fuisse. Nihilominus vsu mihi venit, vt milites mei à paucissimis hostium in fugã converterentur, ac nonnulli eorum occumberent. qua ex re quoniam omnem meum exercitum animis concidere & incredibilem in se metum concipere animaduerteram, animi incertus scidi vestimenta mea, & pronus cecidi in terram coram arca Domini vsq; ad vesperã, mecumq; omnes senes Israël, misimusq; puluerem super capita nostra. Postquam diu flebili voce supplicaui, dixit mihi Dominus: Peccauit Israël, tulerũtq; de anathemate. nec poterit stare Israël ante hostes suos, eosq; fugiet: quia pollutus est anathemate. nõ

ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est. Anathema est in medio tui Israël, non poteris stare coram hostibus tuis. Hoc audito reliqui nihil ad diligentiam fecimus, vt sacrilegus, qui Anathema seu rem Deo consecratam rapuerat, inueniretur, inuentumq; lapidibus obruimus & omnem eius substantiam igne consumpsimus. Hac re gesta auersus est furor Domini a nobis, prospereq; reliqua bella profligauimus. Censeo igitur exemplo nostro doctus etiam atq; etiam caueas, *ne sit Anathema in medio tui*, hoc est, homines ob Hæresin, sacrilegium aut simoniam siue ambitum, Ecclesiæ sententia anathematizati ac deuoti. Aliter verendum est, ne populus tuus nõ possit stare ante hostes suos, eosq; fugiat.

S. GEDEON INVICTISSIMVS HEBRÆORVM DVX.

CVm Deus summum populi sui Imperatorem me delegisset, cuius auspicio atq; ductu bellum aduersus hostes Madianitas gereretur, triginta millia hominum aduersus centum triginta quinq; hostium millia eduxi. quoniam mihi victoriam se largiturum non vno signo confirmauerat. Sed respondit mihi ex oraculo: *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Israël, & dicat, Meis viribus liberatus sum*. Statim ergo viginti millia dimisi. Iterum verò responsum mihi fuit. *Adhuc populus multus est. In trecentis tantùm viris liberabo vos & tradam hostes in manu tua*. Non nisi ergo 1. Iudic. 6, & 7.

go

ego trecentis viris, ijsq; omnium ignauissimis, in hostem moui, & prodigiosam victoriam obtinui. Hinc discere potes, causæ iustitiam & iussum diuinũ nondum satis esse, vt sibi quis indubitatam victoriã despondeat. quamuis enim à Deo bellum gerere iussus essem, & de causæ constaret iustitia, quoniam religionem veram ac libertatem nostram tueri certabamus: tamen præcisè mihi victoriam Deus negat, propterea quod periculum esset, ne propter numerũ militum meorum gloria eius minus esset illustris. Nimirum *omnia propter semetipsum* & in gloriam suam *operatur dominus, impium quoq; ad diem malum*. Magis autem illustris est eius gloria, si populus eius nullis suis viribus res maximas gesserit, quàm si aliquid & ipse momẽti ad victoriam fecisse videatur. *Equus quidem paratur ad diem belli, sed dominus est, qui salutẽ tribuit. Huic* autem *non est voluntas in fortitudine equi, nec in tibijs viri beneplacitum est ei, sed beneplacitum est ei super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Non saluatur Rex per multam virtutem. Gigas non saluabitur in multitudine fortitudinis suæ. Fallax equus ad salutem. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & qui sperant in misericordia eius.* Itaq; quamuis prudẽter facias, fortitudinem equi & tibias viri, hoc est, equitatum & peditatum diligenter cõparans, simul tamen omnem victoriæ spem in solo Dei misericordis auxilio collocatam habere, certissimoq; tibi persuadere debes, adeo nihil in istis ad victoriã esse momẽti, vt facilius eam minus paratus, quàm omnibus vincendi instrumentis egregiè instru

Prouer. 16.

Prou. 21

Psal. 146

Psal. 32.

ctus, à Deo sis impetraturus. Fac, vt Deus iuuare te velit, poterisq; totius orbis aduersus te conspirationem securus contemnere. Volet autem iuuare, si gloriam in solidum ei dederis, ex animo vires tuas contemnendo, & ab ipso solo victoriam expectando. Protector enim est omnium in se sperantium. Lasso dat virtutem, & his, qui non sunt, *siue, qui nihil esse se agnoscunt*, fortitudinem & robur multiplicat. qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Psal. 17. Isai. 40.

ASA REX IVDA.

DEcem annos pacificè regnum obtinueram, ac ciuitates meas muris inuiueram, turribus & portis ac seris roboraueram, cùm Zara Aethiopiæ Rex cum decies centenis millibus militum, & trecentis curribus bellum mihi mouit. Ei ego cum quingentis octoginta millibus perrexi obuiam, qui omnes viri erant fortissimi. Et quamuis viderer ad hostem pellendum satis habere virium, in meo præsertim regno, in quo tot munitæ vrbes forent: tamen vbi aciem instruxi, Deo dedi gloriam, omnes meas vires contemnendo, & in ipso solo fiduciam omnem collocando. Sic enim in concione audiente omni exercitu Deum inuocaui: *Domine, non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus. adiuua nos Domine Deus noster. In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc* 2. Paral. 14. 15. & 16.

multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non praeualeat contra te homo. Noli nunc dubitare, quin ibi fuerint homines, qui me hominem ignaui animi, & imbellem iudicarent, quod tam valido exercitu victoriam ſtatim deſperarem, & ad miraculoſum Dei auxilium confugiendum mihi arbitrarer. Si enim hodie ſic vſu venire vides, vt quo quisq; eſt religioſior, eo perhibeatur ignauior, meo tempore ne defuiſſe credideris, quorum perinde deprauatum eſſet iudicium. Nam vt ait proauus meus Salomo: *Nihil eſt ſub Sole nouum, nec valet quiſquam dicere, Ecce hoc recens eſt. praeceſſit enim in ſaeculis, quae fuerunt ante*
1. Reg. 2. *nos.* Sed ego eius memor, quod Samueli dictum à Deo fuerat: *Glorificantes me glorificabo*, vires meas quamuis hominum iudicio minime contemnendas, nullo loco habere, & à ſolo Deo victoriam expectare optimum iudicaui. Sic enim fieri intelligebam, vt bellum non iam meum, ſed Dei ipſius eſſet. Nam ſi vinceretur, qui iuſtam cauſam ſolius Dei fiducia propugnat, id homines propterea putarent eueniſſe, quoniam Deus victoriam ei tribuere aut noluerit, aut non potuerit: quorum vtrumuis gloriam eius vehementer minueret. nam ſi nolit eos iuuare, qui toto corde in ipſum credunt, ingratus & fallax videbitur, qui ſpem eorum, quos ſibi nouit deditiſſimos, fruſtretur ac deſtituat. Sin autem non
Ezech. 29. poſſit; *baculo arundineo* ſimilis iudicabitur, *qui cùm eum manu apprehenderunt, confractus, & innitentibus ſuper eum, comminutus eſt.* In hoc meo conſilio quam nihil falſus fuerim, & euentus, & reddita Dei

per

per prophetam vox declarauit. Vix enim supplicare desieram, cùm exterruit Dominus Aethiopes, & in fugam conuertit. Illos ergo persecuti fuimus, & ruerunt vsq; ad internecionem Domino cædente, & conterente, exercitu verò illius præliante. Domum verò cum triumpho reuertentibus occurrit nobis Propheta Dei, sicq; nobis rem gestam gratulatus quid porro faciendum nobis esset præmonuit: *Dominus vobiscum, quia vos fuistis cum eo. Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ. Erit enim merces operi vestro.* Opus videlicet nostrum fuerat magna fides nostra, qua nobis persuaseramus Deum omnipotentem esse, & victoriam in se sperantibus daturum. Huic operi merces fuit miraculosa victoria, & incussus ex ea timor omnium in vicinia gentilium animis. Itaq; per Fidem deuicimus regna, fortes facti fuimus in bello, & castra vertimus exterorum. Sed proh dolor? opus hoc in finem vsque custodire parum pensi habui. Nam cùm anno regni mei trigesimo sexto Baasa rex Israël vrbem Ramam in finibus meis munire cæpisset, ita vt nullus tuto posset egredi, & ingredi de regno meo: ego Deum tentare veritus, fideq; illis habita, qui vociferabantur, Deum non semper facere miracula, non, vt priùs, Dei ope fretus arcis hostilis munitionem armata manu impedire studui, sed ad artes conuersus missa ingenti pecuniæ vi ad Regem Syriæ, vt is rupto fædere, quod cum Baasa habebat, bellum ei faceret, perfeci. In hoc multi prudentiam meam laudarunt, qui otiosus, & quietus

neq; adito Martis communis periculo hoſtem potentiſſimum ceruicibus meis imminentem depellere, & conſilio meam ac regni ſalutem expedire ſciuerim. Sed me ſingularis ſtultitiæ mox Dei propheta ſic condemnauit: *Quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo: idcirco euaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Nonne Aethiopes multo plures erant quadrigis & equitibus, & multitudine nimia: quos cum in Domino credidiſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum: Stultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent*. Vides, quid huius mei operis merces ſuperioris operis mercede interſit. Solo enim diuino fretus auxilio, & vici, & vicinis omnibus terrori fui. Nunc quoniam humana ope hoſtem ſubmoui, primùm euaſit Syriæ regis exercitus de manu mea, quem alioquin Iſraëlitis ſuppetias ex fœdere laturum ſimul cum Iſraëlitis certo ſuperaturus eram: deinde contemni à finitimis populis cæpi, vt mihi bellum ultro inferre minimè dubitarent, quippe quem viderent nihil in Dei auxilio ſpei habere, adeoq; largitionibus, & cauponando potius bello, quam belligerando inimicos expugnare. Cenſeo igitur in eo me imiteris, quod mihi proſperrime ceſſiſſe, & Dei oraculo laudatum fuiſſe demonſtraui: caueas autem, ne facias, quod mihi cum damno, tum dedecori fuiſſe intelligis.

IOSA-

IOSAPHAT REX IVDA.

2. Paral. 17. 18. & 20.

QVod tibi Asa pater meus modò dedit consilium, eodem mihi bonis, & malis eius rebus pariter edocto vtendum putaui. Quamuis enim essem diues & inclitus multum & vsq; in sublime magnificatus, & ædificassem in Iuda domos ad instar turrium, vrbesq; muratas præsidijs occupassem, quamuis etiam ad manum in Regia mea vndecies centena & sexaginta robustissimorum virorum millia haberem, exceptis alijs, quos in varijs regni vrbibus disposueram: tamē simul ac de bello, quod mihi Moabitæ, Ammonitæ, & Edomitæ inferebant, attigit nuncius, timore perterritus totum me contuli ad rogandum Dominum, & prædicaui, siue indixi ieiunium in vniuerso Iuda, omnemq; populum meum cum vxoribus, & liberis in atrium templi ad deprecandum Dominum congregaui. Non est quod dubites, quin quales nunc sunt homines, tum quoque fuerint, multiq; me nullius prorsus animi omniumq; mortaliū ignauissimum iudicarint, quod Rex tam armis virisq; potens vsq; eo ad primum de hostili aduentu nuncium pertimuerim, vt tamquam omni iam salute penitus deplorata ad vota ac supplicia muliebria confugere viderer. Sed ego iustissimam longeq; aliam, ac pleriq; suspicari poterant, timendi causam habui. Mea scilicet felicitas ac potentia mihi suspecta erat, maiusq; à meis, quàm ab hostis uiribus damnum uerebar. Fieri

enim

enim uix poteſt, quin aliquam populus tam numeroſus, & fortis in ſe ipſo fiduciam habeat, ſeq; uiribus ſuis uictoriam conficere poſſe exiſtimet. At enim nihil eſt, quod magis uictoriam, etiam ubi iuſtiſſima cauſa defenditur, impediat. Deus enim ſibi ſoli, tamquam exercituũ domino, uictoriam acceptam referri cupit, ac ſi quis uel minimum in quacumq; re creata niſi propitio ipſo ad eam momenti ineſſe putet, eam atrociſſimam contumeliam, & gloriæ ſuæ imminutionem interpretatur. Iraque cum maiores noſtri fœdiſſimæ libidinis vindicandæ
Iudic. 19 & 20. cauſa Dei iuſſu tribui Beniamin arma intuliſſent, bis ingentem cladem acceperunt. *Erant enim & fortitudine & numero confidentes*. Sibi quippe victoriam ſine vlla dubitatione propter tres cauſas promittebant. primum, quia iuſta eſſet belli cauſa. deinde, quia Dei iuſſu arma cepiſſent. poſtremò, quia ipſi explerent numerum quadringentorum milliũ, cùm Beniamitæ non eſſent amplius viginti ſex millia & ſeptingenti. Sed vehementer eos fugit ratio. ſiquidem hæc poſtrema non victoriæ, ſed maximæ cladis eorum cauſa fuit. Nam à fortitudine & numero auxilium exſpectare, hoc eſt rem creatam honore ſoli creatori debito afficere. quod qui facit, ei nihil exploratiſſima cauſæ iuſtitia ad victoriam
2. Reg. 24. prodeſſe poteſt. Dauid quoq; populo numerare iuſſo, occaſionem ei præbuit, vt ſibi de numero ac viribus ſuis placeret, quam poſtea offenſam clade ſeptuaginta millium luere coactus fuit. Merito igitur ſum veritus, ne populus meus ſimiliter ſibi
de

de numero & fortitudine sua placuisset, ac propterea clade aliqua insigni factamDeo iniuriam expiare cogeretur. Optimum proinde factu mihi visum est, si qua eis id genus fiduciæ accessisset, eam salutari metu compescere & propriarum despicientiam virium in eorum animis excitare. Eam ad rem primum omnium Ieiunium vsui fore credidi, quoniam simul cum cibo confidentia in ventrem sumi solet, tum ieiunos & siccos in atrium domus Domini conuocaui, eisq; in medio eorum constitutus huiusmodi Dei inuocandi suiq; contemnendi formulam præiui. *Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis Gentium: in manu tua est fortitudo & potentia, nec quis quam tibi potest resistere. Ecce filij Ammon & Moab & mons Seïr nituntur nos eijcere de possessione, quam tradidisti nobis. Deus noster, ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Mouit hæc oratio mea omnium animos, vt & ipsi vera cordis humilitate me imitarentur, & à solo Deo, suis contemptis viribus, auxilium exspectarent. Fructus autem is fuit, vt pugna iam non nostra, sed Dei ipsius esset. nec enim vinci iam poteramus, vt non Dei ipsius gloria simul minueretur. Visus nempe fuisset opem ijs, qui toti ab ipso penderent, aut noluisse ferre, aut non potuisse. Igitur statim Propheta sic nobis Dei nomine respondit: *Attendite omnis Iuda & tu Rex Iosaphat. Hæc*

dicit

dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem. non est enim vestra pugna, sed Dei. Non igitur eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos. Ego qui scirem, quantas confidentia siue Fides illa de Dei omnipotentia vires habeat, cum eos postridie in hostem sub signis ducerem, huiusmodi apud eos vsus sum Allocutione: *Audite me viri Iuda, credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera.* Neq; dictis euentus non respondit. Mox enim Deus uertit insidias hostium in semetipsos, ita ut omnis eorum exercitus mutuis concideret uulneribus. Censeo igitur, Hispanos tuos, quibus tot incredibiles uictoriæ, totq; Tropæa in omnibus orbis partibus fixa animos possunt sustollere, simili ratione uires suas contemnere, inq; sola Dei gratia fiduciam omnem collocare doceas, vt ex animo de se profiteantur, quod de se suisq; maioribus populus meus:
Psal. 43. Non in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, deus, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. Igitur nec ego in arcu meo
Psal. 19. sperabo, & gladius meus non saluabit me. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri *non tam pugnabimus, quàm* inuocabimus.

AMASIAS REX IVDA.

2. Paral. 25. CVm accepissem Edomitas tributarios meos rebellasse, ac tributum mihi nolle porro dependere,

dere, meq; iustissimum belli suscipiendi titulum habere nihil ambigerem, & trecenta millia iuuenum bello idoneorum in populo meo numerarem: tamen ne quicquam viderer negligere, quod ad victoriam vsui esse posset, mercede conduxi de populo Israël centum millia robustorum. Sed cum iam in procinctu staremus, venit ad me Propheta Dei, & ait: *O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israël. non est enim Dominus cum Israël & cunctis filijs Ephraim. quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est & adiuuare, & in fugam conuertere.* Dixi autem ad prophetan: *Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israël?* Et respondit mihi: *Habet dominus vnde tibi dare possit multo his plura.* Ego tanti feci auxilium Dei, vt eius causa iacturam centum talentorum facere animum inducerem, & *confidenter* magnaq; fide eduxi populum meum, Deoq; iuuante hostes vici, & condignis supplicijs rebellionem eorum contumaciamq; vltus sum. Si causam quæras, cur Deus Israëlitis adesse se neget, & ijs, qui eorum vtuntur auxilio, pœnam minetur, non aliam inuenies, quàm quia Israëlitæ erant *absq; Deo* 2. Par. 15. *vero & absq; Sacerdote doctore,* & eiecerant Sacerdotes Domini de tribu Leui, aliosq; de nouissimis 2. Paral. 11. & 13 populi Sacerdotes ipsi sibi constituerant. Censeo igitur sedulo caueas, ne in robore exercitus putes bella consistere, eaq; re militem stipendio conducas, qui sit absq; Deo vero & absq; Sacerdote doctore. Hoc enim nisi caueris, pro explorato tibi

confirmo, fore vt superari te Deus ab hostibus permittat.

THEODOSIVS MAGNVS IMPERATOR.

Theodoret. Histor. Ecclesiast. lib. 5. ca. 3. & 24.

CVm legendis sacris literis didicissem, veteres illos Reges ac Duces Fidei merito vicisse regna, fortes fuisse factos in bello, & castra vertisse exterorũ: propterea magna semper fide prœlia inire sui solitus. Per fidem igitur Gothos recenti victoria & Valentis Imperatoris cæde inflatissimos aggressus sum, & victoriam ijs, quas per eamdem fidem Asa & Iosaphat adepti sunt, simillimam reportaui. nam hostes vix cæpto prælio statim terga verterunt, & non à meis modò militibus, sed & a seipsis mutuo interfecti conciderunt. Similiter cum Eugenius Valentiniano filio nefarie cæso Tyrannidem inuasisset, ego armis in eum sũptis non alia re, quàm Fide, vt non mea, sed Dei esset pugna, perfeci, & victoriam Deo prodigiose adiuuante illustrissimam fui consecutus. Cùm enim exercitus mei Duces magnopere mihi auctores essent, ne copias meas tam numeroso hostis exercitui opponerem ac velut ad perspicuam lanienam ducerem, sed potius bello ducendo agendisq; delectibus hiemem totam consumerem, vt primo vere nihilo minore militum numero hosti possem occurrere: ego pro fidei meæ plenitudine consilium eorum aspernatus, *Non est nostrum* (inquam) *committere, vt salutarem crucis armaturam*

tam

iam parum validam existimare, Herculis verò statuæ tantum virium opinione nostra tribuere videamur. nam vt Crux nostrum, ita hostilem exercitum Hercules antecedit. Verùm cùm exercitum meum nihil oratione ista erectum, sed adhuc animis fractum ac iacentem animaduertissem, sacellum quoddam ingressus noctem ibi totam precibus ad Deum fundendis peruigil exigere statui. Sub gallicinium somno oppressus duos quosdam vestibus albis amictos equisq; candidis vectos videre mihi visus sum, qui me bono animo esse & prima luce audenter in hostem mouere iubent, & alter se Ioannem Euangelistam, alter Philippum apostolum esse ait, a Deo missos, vt mihi prælianti sint auxilio. Igitur expergefactus milites meos hortatus sum, vt omni metu excluso alacriter arma expedirent, neque pugnantium multitudine victoriam metirentur, sed eorum, qui se duces nobis fore promisissent, potentiam perpenderent. quibus verbis cùm eos magnopere confirmassem, rectà in hostem moui. Victoriam consecuti fuimus tam admirandam, vt ipsi gentiles diuino miraculo eam obtigisse vltro faterentur, ex quibus poëta Claudianus historica tamen fide sic euentum illum describit:

——— cauto non profuit hosti
Munitis hæsisse locis. Spes irrita valli
Concidit, & scopulis patuerunt claustra reuulsis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduersas acies, reuolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine repulit hostes.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes cui, militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Censeo igitur idem facias, quod fecisse me audiuisti. Deus idem ipse semper est, neq; minus hodie, quam olim, ab ipso solo pendentes adiuuare, hoc est, gloriam suam asserere cum vult, tum potest. Magna igitur Fide Deum glorifica, & prodigiosis victorijs semper ab eo glorificaberis.

IVSTINIANVS PRIMVS IMPERATOR.

Codic. Iustin. lib. I tit. 27. de officio præf. prætorio Africæ.

CVm mihi de Vandalorum in Africa erga Catholicos tyrannide, deq; contumelijs, quas Ecclesijs non vno modo profanandis Deo opt. max. faciebant, renunciatum esset: Catholici Regis, & Imperatoris officium hoc à me exigere iudicaui, vt ne diutius barbariem eorum tolerarem, sed iusto pioq; bello istos Dei, & Ecclesiæ hostes persequerer. Non me quidem fugiebat, me nulla propriè ab illis affectum fuisse iniuria, eosq; centum fere annis Africæ possessionem approbantibus Romanis Imperatoribus tenuisse, adeoque legitimos eius esse dominos: tamen cum Arianam eorum hæresin, tum immanitatem, & erga Catholicos sæuitiam meruisse non dubitaui, qui armis meis ad pœnam expeterentur. Exercitum igitur validissimum coegi, & Belisario duce in Africam misi. Vt tamen omnibus testatum facerem, me non vllam in humanis viribus, sed omnem in Dei gratia fiduciam habere,

bere, edicto vetui, ne quis infidelis aut Hæreticus in exercitu meo militaret. Sic enim intelligere omnes potuerunt, me à solo Deo victoriã exspectare, quippe cuius prætimere offensam, si eorum vsus essem auxilio, quos absq; vero Deo, & absq; sacerdote doctore esse intelligebam. Merces igitur fuit operi meo, vt gentem bellicosissimam, quæ de tot Romani Imperij prouincijs, de ipsa deniq; vrbe rerum domina gloriosè triumphauerat, sub iugum mitterem, Africam vno solo trimestri ditioni meæ subijcere, Regem Vandalorum bello captum & argentea catena vinctum Constantinopolim in triumpho ducerem, rabiem deniq; Vandalicam cum ipso nomine funditus exstinguerem. Hic belli Africani successus *excedere* mihi visus est *omnia mirabilia opera, quæ in sæculo contigerant.* Censeo igitur cùm vel Dei & Ecclesiæ, vel tuas etiam publicas iniurias bello legitimo vlcisci cogitas, ab exercitu tuo Hæreticos milites edicto submoueas, teq; non militum numero, sed Dei solius adiutorio ad victoriam niti eo modo planum facias. Quæ enim alia tibi causa esse potest tolerandi milites Hæreticos, nisi quoniam eos ad victoriam necessarios esse putas? nam si minimè necessarios, ac vel sine illis vincere te posse existimas, in malam rem abire eos iube, & lucri fac, quod eis dependis stipendium. Sin autem propterea eos retines, quoniam in robore exercitus putas bella consistere, superari te deus faciet ab hostibus. Dei quippe, non militum est, & adiuuare, & in fugam conuertere.

CARO-

CAROLVS MAGNVS IMPERATOR.

Libro Capitulerum septimo cap 104 105. & 188.

CVm anno Christi 770. VVormatiæ frequentissima & celeberrima haberem Comitia, nomine totius Germaniæ Galliæq; populi, hoc est, Episcoporum, Abbatum, Ducum, Comitumq; regni mei is, quem recitabo, libellus mihi fuit oblatus.

Scimus, Rex optime, res Ecclesiæ Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium & pretia peccatorum. quapropter si quis eas ab Ecclesijs aufert, proculdubio sacrilegium committit. Offerunt enim illas Deo fideles pro remissione peccatorum suorum ac parentum & filiorum, aut pro quocumq; voluerint, ad seruiendum ex ijs Deo in sacrificijs Missarumq; solennijs, orationibus, Luminarijs, pauperum ac Clericorum alimonijs, & ceteris diuinis cultibus, & Ecclesiæ vtilitatibus. qui ergo inde eas aufert, quid agit nisi sacrilegium? Talis autem in sacris Canonibus Anathema pronunciatur. Scimus autem anathematos homines vel sacrilegos, non solùm infames esse, sed etiam à regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Proinde hoc Maiestati vestræ omnibusq; Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris fidelibus siue subditis notum esse cupimus, quod cum his, qui absq; voluntate aut consensu vel datione rectoris illius Ecclesiæ, cui ipsæ res iuste esse debentur, & maxime proprij Episcopi, res Ecclesiæ à Regibus petere aut retentare, vel auferre aut inuadere, vel vastare præsumpserint, cum talibus ergo nec in hostem, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam, vel ad Palatium, aut in itinere pergere,

nec

nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut caballos vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus, aut ad pastum ire, aut simul habitare vel manere, nec vllam participationem cum eis, nisi pro emendatione, ante publicam emendationem & Ecclesiæ satisfactionem vmquam scientes aut libenter habere debeamus; ne pro eorum iniquitatibus atq; flagitijs, vna cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim quia perit iustus pro impio. Tales verò à nobis Maiestas Vestra, si nos fideles habere vult, segreget, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigat, & pustulata concedat. Vt ergo hæc omnia à Maiestate vestra, & à nobis, siue à successoribus vestris, & nostris, futuris temporibus absq; vlla dissimulatione conseruentur, ea Maiestas vestra scriptis Ecclesiasticis inserere iubeat, & inter sua Capitula interpolare præcipiat.

Hic ego prudentiam sæculi nequaquam in consilium adhibui, qua qui præditi sunt, Regibus nequaquam committendum putant, vt omni se iure Ecclesiasticas opes dispensandi ipsi spolient, sed postulationem eorum velut pietati, & rectæ rationi consentaneam probaui, ac mox huiusmodi Legem, quæ hodieq; in Capitulorum meorum codice visitur, promulgaui.

Nouimus multa regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliauerunt, resq; earum vastauerunt, abstulerunt, alienauerunt, vel diripuerunt, Episcopisq; & Sacerdotibus, atq; quod magis est, Ecclesijs eorum abstulerunt, & pugnantibus seu militibus loco stipendij dederunt. quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles

biles fuerunt, nec victores extiterunt, sed terga multi vulneratі & plures interfecti verterunt, regnaq; & regiones, & quod peius est, regna cælestia perdiderunt, atq; proprijs hereditatibus caruerunt, & hactenus carent. Qualiter Dominus talium criminum vltrices pœnas per Saracenos, & alios populos venire permisit, cunctis earum gesta legentibus liquet, & nisi nos ab his caueamus, similia nobis superuenire non dubitamus. Prohibemus ergo omnino sub pœna sacrilegij generaliter omnibus cunctarum Ecclesiasticarum rerum inuasiones, vastationes, alienationes, Sacerdotumq; & reliquorum seruorum Dei oppressiones, vexationes, atq; cunctorum generum iniurias. Si quis ex iure Ecclesiastico hactenus nostra largitate aliquid possedit, si illa deinceps habere voluerit, præcipimus, vt ad proprios Episcopos veniat, & ab eis, & à præpositis Ecclesiarum, vnde esse videntur, quocumq; modo iustè potuerit, ea impetrare satagat, & nihil ex eis aliter ambiat aut concupiscat, vel accipiat, ne cupidum rerum sanctarum, qui in eis est ignis fauillosius exurat. Vnde & in sacris Canonibus, spiritu dei conditis, decretum habetur ita: Si quis oblata dederit vel acceperit præter Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, Anathema sit. Scimus autem Anathematos homines, & in præsenti sæculo infames esse ac perditos, & à consortio fidelium in omnibus, absq; pane, & aqua, fieri alienos, atq; si absq; Ecclesiæ satisfactione de hac vita recesserint, à regno Dei fore extorres. Quam foueam qui cauere dissimulat seu recusat, nostra se sciat per omnia societate carere, quia non solum qui faciunt,

Cur Gothi in Hispania per Saracenos puniti.

sed

sed, & qui facientibus praua consentiunt, rei sunt. Satius enim nobis est regnum non habere terrenum, quàm æternum perdere. Plus verò me credo Deum posse per Sanctorum seu sacerdotum suorum merita adiuuare, quàm omnem militiam sæcularem.

Verùm quoniam non modo res, & personas Deo sacras, velut Dei ad nos Legatos, inuiolabiles præstari, sed etiam ius eorum auctoritatemq; pœnis sanciri gloriæ diuinæ, proindeq; regnorum ac rerump. felicitatis interest, hanc quoq; Legem aduersus eos, qui sacerdotibus inobedientes sunt aut eorum in peccatores ius impediunt, ferre mihi visum est.

Volumus atq; præcipimus, vt omnes suis sacerdotibus, tam maioris ordinis, quam & inferioris à minimo vsq; ad maximum, vt summo Deo, cuius vice in Ecclesia Legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus, qualiter nobis fideles existere possint, qui Deo infideles, & suis sacerdotibus inobedientes apparuerint, aut qualiter nobis obedientes nostrisq; ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis & Ecclesiarum vtilitatibus non obtemperant. Potius namq; iuxta veritatis vocem ille metuendus est, qui potest animam & corpus perdere in gehennam, quàm ille, qui corpus torquere & honores temporales potest auferre. De illis dictum est: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et alibi: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et iterum: Qui vos recipit, me recipit. His ergo fulti oraculis iubemus, vt omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos, & peccatores Libro 7. Capitulorum c. 401.

atq; negligentes homines distringendos seu puniendos summopere obedientes existant. Qui enim in his, quod absit, negligentes eisq; inobedientes fuerint inuenti, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filij nostri fuerint, nec in palatio locum, neq; nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem vllam habere, sed magis sub magna districtione pœnas luere. In his namq; omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem ac beneuolentiam, quoniam si hæc fideliter impleuerint, tunc Deo & nobis fideles erunt. Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solum infideles, sed etiam infames atq; reprobi manifestè apparentes notabuntur, eorumq; domus publicabuntur & ipsi exiliabuntur.

Pœna in regum filios Hereticos & Schismaticos

Iam non dubito, quin sponte tua colligas, me infamia notandis, & proscribendis omnibus Hæreticis, Schismaticis & sacrilegis, mihi ipsi eorum auxilio in bellis, quæ subinde gessi, interdixisse: neq; id aliam ob causam, quàm vt me Anathema de medio populi mei velle tollere, & solius auxilij diuini fiducia niti testatum facerem. qua quidem re ita mihi Deum feci propitium, vt pœnam, quam perpetuo fere concubinatu merueram, differret, neq; minus ea causa continuis me victorijs ac triumphis afficeret, & aliquot ante obitum annis veræ spatium pænitentiæ, & emendationis mihi concederet. Censeo igitur meum erga res, & personas ac iura Ecclesiasticorum in proscribendis sacrilegis, Hæreticis alijsq; anathemate percussis exemplum imiteris, quod tanto studere debes impensius, quoniã VindonissæComites, maiores tui, Comitijs illis anni

770.

770. interfuerunt, & ſimul cum ceteris regni proceribus non ſuo tantum, ſed & poſterorum, adeoq; Tuo etiam nomine, ſe cum ijs, qui res Eccleſiæ à Regibus petere aut retinere auderent, in hoſtem aut ad pugnam minime ituros proteſtati ſunt, & à me, vt eos à communione noſtra arcerem, & infamia notarem, tantopere contenderunt.

HENRICVS AVCEPS IMPERATOR.

PRœlium cum immani Hunnorum exercitu commiſſurus, tametſi cauſam iuſtiſſimam tueri me ſciebam, quia tamen in mentem mihi venit, Anathema eſſe in medio mearũ copiarum, multis Equitibus ac militibus priorum Regum, & Imperatorum largitione Monaſteriorum, & Eccleſiarum reditus poſſidentibus, Eccleſiaſticorum quoq; non paucis ambitus ſeu ſimoniæ perſpicuè reis: quoniam in illa temporis anguſtia tollendi Anathematis facultas non dabatur, quod ſolum erat reliquum, Votum concepi de peccatis illis penitus recidendis, & ex Imperio toto proſcribendis, ſi victoriam Deus mihi tribuiſſet. Audiuit Deus votum animi non aliunde, quàm ab ipſo, victoriam exſpectantis, vtq; illo conflictu triginta ſex Hunnorum millia cæderentur permiſit, & eorum terrore Germaniam aliasque prouincias liberauit. Cenſeo igitur, etiam atq; etiam des operam, ne quod in medio tui populi ſit Anathema: ac ſi ſpatijs excluſus iniquis id ſtatim tollere non poſſis, ſaltem voto eius rei concepto Deum tibi propitium reddere ſtudeas. Luitprand. Hiſt. 2. ca. 8.

OTHO MAGNVS IMPERATOR.

Luitprand. Hist. 4. c. xi.

CVm frater meus Henricus ingenti exercitu vndiq; me sepsisset, meorumq; militum plurimi quotidie ad eum transfugerent, primarius quidam Germaniæ Princeps, qui magna militum manu suppetias mihi venerat, quod me in tantis positum angustijs nihil sibi negare ausurum spe certissima præcepisset, ea fiducia me rogauit, vt Abbatiam Lauresheimensem sibi permitterem, ex cuius opibus stipendium militi suo posset persoluere. Ego, qui scirem, me non ipsius aut militum eius, sed Dei solius ope discrimini præsentissimo eripi ac victoria potiri posse, impiam & sacrilegam eius petitionem coram omni exercitu huiusmodi oratione cõfutaui: *Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus. Quis sapiens non videat, te hæc non humilitate petitionis, sed comminationis auctoritate dixisse? scriptum est, Nolite sanctum dare Canibus. Itaq; si vis cum ceteris infidelibus me prodito ad hostes transfugere, quanto citius, tanto melius.* Princeps ille tanta mea constantia perculsus & rubore perfusus ad pedes meos accidit, ac fassus culpam sibi veniam dari petijt, nec multo post Duces mei insignem de rebellibus victoriam retulere, me interea in sacello supplicante causamq; meam Deo commendante. Sed quartodecimo post anno cum vxorijs blanditijs precibusque victus socrum meam Bertam Abbatia Merensteinensi donassem, statim filio meo Luitholpho con-

contemptui esse cæpi, ita vt palam rebellare & arma ferre contra nihil dubitaret. Adeo vel exemplo meo verum esse comprobatum est, quod de se profitetur Deus: *Glorificantes me glorificabo, qui autẽ me contemnunt, contemnentur.* Censeo igitur, si qui Monasteriorum opes à te petere non dubitant, aut inde stipendia militibus constitui suadent, eos velut Canes à te abigas & in maximam malam crucem potius, quam propter illos Deus irritetur, facessere iubeas.

RVDOLFVS PRIMVS IMPERATOR.

CVm ex Pontificum & Imperatoris Friderici secundi simultatibus Germania nostra in partes esset diducta, & intestinis dissidijs atq; bellis collideretur, factum est, vt ego & frater meus Albertus turbis illis inuoluti quamuis præter animi sententiam Vuettingensi Monasterio damni non minimum inferremus. qua de re postea admoniti, quod Principes Catholicos decebat, faciendum omnino nobis putauimus, vt damna illa farcirentur cumulateq; Monasterio satisfieret, quoniam aliter nullum nobis erat dubium, quin Deum haberemus infensum, nobisq́; bella porrò pessime procederent. Quo autem pacto damna illa à nobis compensata fuerint, ex his tabularum nostrarum siue instrumenti publici verbis cognosces:

Rudolfus Lantgrauius Alsatiæ, & Albertus frater suus, Comites de Habisburg vniuersis Christi fidelibus Franciscus Guillimannus origin. Habsburg. li. 6. pag. 281.

præsen-

præsentium inspectoribus in perpetuum. Nouerint, quos nosse fuerit oportunum, quod cùm Venerabilibus in Christo Abbati & Conuentui Monasterij de Vuettingen Cisterciensis Ordinis, Constantiensis Diœcesis, per nos & nostros in publicis & communibus bellis, seu specialibus, & aliàs damna plurima, sicut ijdem asserunt, & nos recognoscimus, fuerint irrogata, Nos augias nostras, vulgo Brunnoue dictas in villa & banno & terminis parochiæ dietinchon sitas prædictis Abbati, & Conuentui & eorum successoribus & monasterio pro LXX. libris monetæ Basiliensis cum omni iure, quod nobis in eisdem competebat, vel competere videbatur, bona fide sine omni fraude vendidimus, & tradidimus, proborum consilio mediante, sub hac conditione, vt cum prædictæ augiæ longè vltra summam pretij prædictam, quam ex ipsa venditione ad vsus nostros recipimus, valere censeantur, residuum pretij earumdem, tam in recompensatione seu satisfactione damnorum prædictorum, quàm in remedium cedat nostris & nostrorum parentum animabus, in hoc facto taliter ordinantes, vt easdem augias partim ratione venditionis, partim ratione donationis, partim ratione satisfactionis, sine contradictione qualibet, prædictus Abbas & Conuentus & eorum successores in perpetuum valeant possidere &c.

De alijs Habsburgensibus vide ibidem pag. 256. & 257.

Quàm vero ista nostra à maioribus nostris in nos propagata religio & Dei propitiandi Ecclesiarumq; damna resarciendi solicitudo fructuosa nobis fuerit, orbi iam vniuerso est cognitum. Tuam quidem præsentem magnitudinem non ab alio fonte profluxisse rectè decreueris. Censeo igitur, si

quid

quid bellorum proximorum occasione Ecclesijs & Monasterijs damni forte datum sit, ne id neglectui habeas, sed in eius compensationem rebus relictis incumbas, vt quibus artibus à nobis maioribus tuis tantum tibi partum est imperium, id tu nunc ijsdem conserues & amplifices.

CAROLVS QVINTVS IMPERATOR.

QVam ingentem verisq; lacrimis vel hodie complorandam in Argeriensi expeditione anno 1541. cladem acceperim, satis tibi notum esse oportet. Sed veram eius causam non ita facile ex alijs acceperis. Itaq; vt meo exemplo discas, tibi quid ex vsu sit, neq; ad eumdem forte lapidem impingas, quid reuera fuerit, quod tantam mihi calamitatem attulit, expediam. Cùm Imperij Comitia ea æstate Ratisbonæ habuissem, post multas molestas & laboriosas cũ Ordinibus actiones tandem de sententia maioris partis Principum, & Ordinum decretum publicaui, in quo erant nonnulla, quæ Catholicæ rei conducere, sed Lutheranis aduersa viderentur. Ea causa Lutherani, quod eis solenne erat, nihil se opis ad bellum Turcicum collaturos denunciarunt. Et quoniam frater meus Ferdinandus, tum Hungariæ Austriæq; populi auxilia eorum omnino necessaria iudicabant, victus eorum precibus animum flexi, & inscientibus ac proculdubio reclamaturis Catholicis Imperij ordinibus, priuatis literis à me signatis publicum illud

Comi-

Comitiorum decretum verbo quidem declaraui aut mitigaui, re ipſa vero irritum feci ac ſuſtuli. Statui enim Eccleſiaſticis tam Lutheranis, quàm Catholicis, prouentus cuiq; ſuos annuos eſſe permittendos non habita ratione diuerſę religionis in Cameram quoq; Spirenſem, Supremum Imperij tribunal Lutheranos & Catholicos Aſſeſſores ac Præſides nullo religionis diſcrimine admittendos. Decretum quoq; Comitiorum anno 1530. Auguſtæ factum, cuius auctoritatem integram eſſe Catholici Ordines etiam atq; etiam poſtulauerant, in Lutheranorum gratiam ſuſpendi, eoq; pacto cùm Hæreſi eorum, tum multiplici ſacrilegio impunitatem dedi. Horum ego nihil profectò feciſſem, ſed neq; frater meus auxilia eorum iſtis conditionibus accipere voluiſſet, ſi probè fuiſſemus memores, *non in robore*
1.Reg. 14. *exercitus bella conſiſtere, ac Deo æque eſſe facile ſaluare in paucis, & in multis*. Et frater quidem hoc inde fecit lucri, vt eodem ipſo menſe ingenti accepta clade & amiſſo Peſto à Budæ obſidione Turcarum aduentu reijceretur, maximamq; regni partem Solymanno cederet. Meæ verò ad Argeriam calamitatis altera hæc acceſſit cauſa. Cùm claſſem & exercitum firmiſſimũ illuc appuliſſem, in quo XXII. millia fortiſſimorum militum numerabantur, & Aſnagam eunuchum, Argeriæ præfectum, miſſo oratore partim promiſſis, partim grauiſſimis minis deditionem facere cohortatus eſſem, ſubridens ſiſcitatur Barbarus, quanam fiducia expeditionem illam ſuſcepiſſem tamq; minarum plenus eſſem. Homo
meus

meus intento ad classem digito, Ista, inquit, fiducia. quàm eius orationem merito Barbarus risu excepit, meq; auerso Deo bellum gerere ac mox vanæ istius fiduciæ grauissimas daturum pœnas pro explorato habuit. Mihi scilicet qua causæ iustitia, qua militum ex Hispania, Germania & Italia lectissimorum numerus animos addebat, vt aduersus octingentos Iannizaros & non magnam Numidarum imbellium manum nihil ad victoriam præterea requiri arbitrarer. Verùm maximo meo malo, taliq; clade, qualis numquam vlli ante me Regi aut Imperatori, simul cœli, soli & maris infestissimi violentia obtigisse legitur, verum esse comperi, Regem non saluari per magnam virtutem suam, Deoque non esse voluntatem in fortitudine equi, neq; in tibijs viri, sed in eis, qui sperant in misericordia eius, ab eoq; solo auxilium exspectant. Censeo igitur omnia Hæreticorum & Ecclesiæ rebellium auxilia nullo numero habeas, & vel vltro oblata asperneris, teq; nec causæ bonitate, nec vllis humanis viribus niti, sed solius propitij Dei fiducia bellum gerere apertè feras. Sic enim, vt Dei, non tua sit pugna, effeceris.

OPTIME MAXIME REX.

AVdiuisti singulorum sententias, quarum omnium duo sunt capita. Vnum, vt tollas de medio Anathema, hoc est, primum Hæreticos, tum sacrilegos, demum Simoniacos. Alterum, vt effi-

cias, vt bellum ſit Dei, non tuum. Priori capiti partim re facta opus eſt, partim voto ſatisfieri poteſt. Hæreticos enim milites omnino ab exercitu tuo ſubmouere prius debes, quàm in hoſtem ducas, Amaſiæ & Iuſtiniani exemplo, & Caroli Magni monito. De ceteris quoniam non ita liquet, voto ſaltem ſolenni Deo te obſtringes & ex animi ſententia promittes, bello feliciter confecto ſedulo te facturum omnia, vt ſi quæ ſiue tuo, ſeu quo alio nomine Eccleſijs ac Monaſterijs bona aut iura interuerſa ſint (quemadmodum non nemo queritur) diligentiſſimè inueſtigetur omnibusq; bona fide ſatisfiat. Horum nihil ab illis tibi ſuaſum iri certus ſum, qui Eccleſiarum bonis cupiditatis oculos adiecerunt, & in eorum participãdi ius ſiue ſe ipſos, ſiue propinquos & neceſſarios ſuos admitti iam olim miſerè deſiderant. Sed Tuæ, Rex, prudentiæ & pietati conuenit plus tantorum Imperatorum Regumq; conſilio credere, & eorum exemplo doctiorem fieri. Vides, quam religioſè & ſolicitè ex maioribus tuis Rudolfus Imp. damnum Monaſterio illatum ſarcire ſtuduerit, cuius facti fructus ad neminem magis, quam ad te, hodie quoq; pertinet. Vides, quantam auus tuus cladem in Argerienſi expeditione acceperit, quod Eccleſiaſticorum cauſam aduerſus prædones ac ſacrilegos de Lutheri parte Principes non ea, qua oportebat, conſtantia tutatus fuerit. Vides, quàm inſignem Henricus Auceps voti ſui de ſacrilegio ac ſimonia abolendis fructum ſtatim ceperit. Vides, quam præſens Otho-

ni

ni Magno persolutum fuerit præmium ob sacrilegij detestationem, quamq; statim vltor ei à tergo Deus superuenerit, simul ac vnius modò Monasterij bona socrus suæ auiditati addixit. Audis, quæ Carolum Magnum causæ impulerint, vt tam grauibus pœnis sacrilegia omnesq; rerum Ecclesiasticarum inuasiones sanciret. *Quia* (inquit) *sunt res Deo sacratæ, sunt oblationes fidelium, & pretia peccatorum. Offerunt enim illas Deo fideles pro remissione peccatorum suorum ad seruiendum ex ijs Deo in sacrificijs, orationibus, luminarijs, pauperum alimonijs.* Puta iam hinc eos stare, qui magnopere Tibi auctores sunt, vt Diui Brunonis familiam in clarissima Italię Carthusia ad Ticinum Deo seruientem ac pro incolumitate Tua dies noctesq; supplicātem bonis suis exuas, & Monasterij fructus in Equestria siue Militaria beneficia conuertas. quod quidem bono animo & *zelo, sed non secundum scientiam*, vt ait Apostolus, facere eos puto, quoniam eis cum de opulentia Monasterij, tum de tuo in fructus eius iure manifestè falsa, & pluribus non modò sedis Apostolicæ, sed ipsorum quoq; Magistratuum Mediolanensium sententijs confossa auidi quidam homines, & suæ vtilitati hac occasione velificantes persuaserunt. Altrinsecus autem stare Carolum Magnum cum omnibus Germaniæ Galliæq; optimatibus, in ijsque Hettone, & Ramberto Vindonissæ Comitibus, maioribus tuis existima, qui non quidem improbent, atq; adeo vehementer laudent id genus Equestria stipendia siue Commendas institui, sed id de tuo te fa-

cere æquum dicant, non de rebus Deo conſecratis, quas glorioſæ memoriæ Princeps Ioannes Galeatius Vicecomes non de Ducatus (in quo Tu ei Cæſario beneficio ſucceſſiſti) ſed de peculiaribus bonis, hoc eſt, de patrimonio ſuo pro remiſſione peccatorum ſuorum obtulit, non vt inde ſtipendia militantibus dependantur, ſed vt Deo ſeruiatur ſacrificijs, orationibus, luminarijs & pauperum alimonijs. Non habeo dubium, quin omnibus eorum, qui aliter ſuadent, argumentis vnius Caroli, tanti bellatoris, tamq; Græcis ac latinis, tum ſacris & profanis literis exculti Imperatoris multum apud te præponderet auctoritas, cùm præſertim te domum tuam deducat & maiorum tuorum exemplo erudiat. Meminiſti te inter Alfonſi Magni Hiſpaniæ Regis poſteros vigeſimo quinto loco numerari. Eum à Catholico Rege Recaredo, Gothorum Apoſtolo originem duxiſſe & Roderico Regi ſanguine connexum fuiſſe omni caret controuerſia. Rodericus verò à Saracenis Hiſpaniæ regno exutus & occiſus fuit anno Chriſti 714. Iam Carolus Magnus annis poſt id factum circiter quinquaginta & ſex, re ſcilicet adhuc recenti cauſam tantæ illius cladis hanc fuiſſe teſtatur, quoniam Rodericus & Vuitiza Eccleſias ſpoliauerint, reſq; earum vaſtauerint, abſtulerint, alienauerint, diripuerint & Militibus loco ſtipendij dederint. Quod ſi nunc in terris exiſtat idem Carolus, & tecum pariter in re præſenti videat, quod ipſe & innumeri mortalium habemus cognitiſſimum, quanta ſit religioſorum Ti-

cinen-

cinensis Carthusiæ in custodienda vitæ regula solicitudo, in celebrandis diuinis officijs impigritas, in victu abstinentia ac frugalitas, præcipuè verò in alendis pauperibus ditioni tuæ subiectis, inq; accipiendis hospitio peregrinis liberalitas, quæ quidem tanta est, vt propemodum fidem omnem excedat: certè & ipse sic censeret, & tu Rex sponte tuam ad illius sentētiam adiungeres, haud quemquam quicquam Monasterio illi posse eripere, nisi vel cultum diuinum parum amet, vel pauperes innumeros fame confici pensi nō habeat: quorū vtrumq; longissimè à te abesse oportet, si cupis, vel potius quia cupis eam insistere viam, quam velut *Regiam* Sancti Hispaniæ Episcopi maioribus tuis præmonstrarunt, quamq; clarissimæ memoriæ vir Garzias Loaysa educator ac magister tuus Syntagmati Conciliorum Hispanicorum inseruit. Ea primum dilectione Dei absoluitur, tum tutela pauperum & afflictorum, de qua operæ pretium videtur aures tuas hoc eorum monito assidue personare. Via Regia.

In iudicando pupillis esto misericors, vt pater, & pro viro, matri illorum: & eris velut altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater, Ecclesiastici 4. *Iob quoq; ait:* Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Contèrebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. *Nam & hanc regiam esse virtutem Rex Salomon approbat dicens:* Rex, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. *Si vis ergo, ò Rex,*

vt

vt thronus tuus à Domino in æternum firmetur, non cesses iustificare pauperem & pupillum, non cesses subuenire viduæ & oppresso, non cesses defendere aduenam & desolatum, diuitijs non cesses fulcire mendicum &c.

Intelligis, opinor, quam parum rationibus tuis consulant, ac reuera solio tuo subuertendo sumant operam, qui te curam & prouinciam alendi pauperes & aduenas, Carthusiensibus adimere, hoc est, tot calamitosos cum summa rerum omnium luctantes inopia, prodere cupiunt. Etsi autem minime eis difficile fuerit, ex togatorum istorum vulturum grege, qui siue Literarum, siue Iuris se prudentiæ ostentatione venditant, inuenire aliquem, qui tibi soracum aut rhedam onerare queant libris de iure isto, quod professores eius partim iustum, partim iniustum esse vltro profitentur, pessimo publico editis, vt ad Te istos Monasteriorum & Ecclesiarum reditus dispensandi ius & arbitrium pertinere doceant: Tu tamen prudentia tua dignissimum feceris, si haud perinde isti hominum generi, quod lucro quantumuis turpi omnia posteriora ducit, quàm tot Sedis Apostolicæ præiudicijs, sed & ipsorum quoque Mediolani magistratuum sententijs fidem habueris. Si S. Iobi exẽplo facere volueris (quemadmodum facturum te persuasissimum habeo) hic quoq; *pater* eris *pauperum*, & causam eorum, quam adhuc nesciuisti, diligentissimè inuestigabis, conteresq; molas iniqui, & prædam, quam nonnulli iam spe deuorarunt, de dentibus illorum auferes. Hoc modo dignus maioribus tuis Hispaniæ Regibus videberis,

deberis, quorum nonnullos honoris causa *Patres pauperum* appellatos inuenio: tamquam Regem Suintilam magni & Catholici Recaredi filium, & Sanctium Desideratum. Etiam præstantissima Regina Iohanna Henrico secundo nupta *Mater pauperum* audire fuit solita. Si Carolo Magno credideris, plus tibi ad conficiendas victorias hostesq; subiugandos Sanctorum, id est, Religiosorum ac Sacerdotum, sed & pauperum preces, quàm omnem totius orbis militiam, profuturas persuasissimum habebis. Nicephorus Phocas Constantinopolitanus Imperator, id vt crederet, animum inducere non potuit, sed quoniam hostes vincere impensè cupiebat, id autem sine militum opera frustra sibi sperare videbatur, donationes Monasterijs atque templis à quibusdam pijs Imperatoribus relictas prorsus aboleuit, lege etiam lata, ne Ecclesiæ immobilibus locupletarentur bonis, Episcopos male impendere causatus, quæ pauperibus largirentur, cùm milites interea egerent. Quantum autem lucri cum ipse, tum imperium eius ex ista Monachorum & pauperum aduersaria, bellatorum verò fautrice lege fecerit, nemini, qui historias legerit, est obscurum. Ipse quidem domi suæ ferro cæsus pœnas dedit, Imperium verò ingentibus malis obrui ac tantum non pessum ire cæpit. Id quidem Imperator Basilius iunior in Nouella sua Iuris Orientalis Codici inserta luculentè testatur. *Quoniam* (inquit) *non modò Monachi, quorum testata est virtus ac pietas, sed etiam multi alij sic existimant,*

legem,

legem, quam Nicephorus contra Dei Ecclesias sanctasq; domos condidit, præsentium malorum & vniuersalis huius subuersionis ac confusionis causam fuiße & radicem; quippe quæ non magis ad Ecclesiarum & Monasteriorum, quàm ad Dei ipsius iniuriam & contumeliam spectarit, & quoniam eorum sententiam res ante oculos posita cõprobat (si quidem ex quo tempore lex ista est obseruata, nihil penitus boni in hodiernum vsq; diem vitæ nostræ occurrit, contrà verò nullum omnino calamitatis genus defuit) propterea Imperium nostrum, quod à Deo profectum est, per præsentem auream bullam statuit, vt prædicta Nicephori lex ab hoc præsenti die ceßet, ac deinceps infirma & irrita permaneat.

Si iam quæras, nihil ne damni Basilio dederit, potiorem Ecclesiarum & pauperum, quàm Equitum ac Militum rationem duxisse: eum annos amplius quinquaginta prosperè imperasse, bella ingentia feliciter confecisse, toto deniq; vitæ cursu fortunatissimum fuisse comperies.

Sed quid alienis apud Te exemplis vtendo tempus contero? Diuus Philippus pater tuus, quem non erat, cur vel religionis, vel prudentię suæ pæniteret, hoc ipsum consilium de Ticinensis Carthusiæ fructibus in Equitum stipendia conuertendis auersatus est, & Monasterio calumniosis id genus litibus negotium in posteritatem exhiberi vetuit. qua quidem re non sibi magis ac reipub. & pauperibus consulere, quam ijs ipsis, quorum improba Monasterio inhiabat auiditas, pestem ac perniciem auertere eum voluisse censeo. Nam vt supra monentes

audisti

audisti Germaniæ Galliæq; proceres, si quis Ecclesiæ bona absq; voluntate aut consensu eorum, quorum commissa sunt fidei, à Regibus non modo accipere, sed vel petere modò audet, is impius est, facitq; iniquitatem & flagitium, cuius pæna non ipse tantum, qui ea facit, sed etiam qui facienti consentit, aut vllum cum eo habet commercium, inuoluitur. Et quoniam illi non pro se tantum, sed etiam pro successoribus posterisq; suis, hoc à Carolo Magno contenderunt, vt sacrilegi & infames declarentur, quicumq; negotium Ecclesijs ac Monasterijs facessere, & Regibus, vt eorum fructus reditusque Militibus commendentur, auctores esse non dubitant: te pietati ac voluntati maiorum tuorum, quorum ipse sanguis es, respondere satagentem omnino in eo perseuerare, ac, ne quid aliter fiat, prouidere oportet. Nam in frequentissimo illo Germaniæ Galliæq; conuentu quarti tui tritaui patrem *Rambertum*, Vindonissæ & Altenburgi Comitem anno proxime insequenti, post Christum puta natum 771. fato functum, eiusq; fratrem *Hettonem* Argentinensem Episcopum, quem anno 780. decessisse scribunt, tamquam primarios regni proceres consedisse ac sententia sua Ecclesiarum & Monasteriorum causæ suffragatos esse, nemo vel minimum dubitauerit, qui vel mores Germaniæ & Imperij consuetudines norit, vel quanta Comitum prius Vindonissensium & Altenburgensium, pòst Habsburgiorum in constituendis ac ditandis monasterijs liberalitas, vel dicam magnificentia fue-

Guilliman. Habsburg. libr. 3. c. 4 pag. 84.

rit, non ignoret. Rambertus certè, quem dico, S. Trutberti Monasterium à proauo suo Otberto Vindonissæ Comite anno Christi 650. conditum restituit, velut eius pronepos Luitfridus Illustris Comes (tam rara enim & ampla illis temporibus appellatione honoratur) in tabulis publicis anno 900. fidem nobis facit, cùm Otbertum ac Rambertum inter suos maiores eiusdemq; Monasterij conditores numerat. Ab hoc autem Ramberto Tu continua nec vmquam intercisa serie vigesimus quintus numeraris, quemadmodum & Matthias Imperator ac Bohemiæ Vngariæq; rex Ferdinandus. Quapropter vos ipsos Ramberti ore Anathema sacrilegis palam dixisse, & Carolo Magno, vt Ecclesias & Monasteria lege lata aduersus improbas cupiditates muniret ac sarta tecta præstaret, auctores fuisse merito existimatis.

Ibid. cap. 7. pag. 100.

Quod si mihi ex altera quoq; parte Christianissimorũ & Catholicorum Hispaniæ Regum dicta ac facta in medium proferre libeat, quibus suam in cõdendis, ditandis, reficiendis & instaurandis Ecclesijs ac Monasterijs pietatem testatam fecerunt, Tibiq; ad iura ac bona Ecclesiastica lege ac legionibus tutanda exemplum præiuerunt, vix iusto volumine rem persecutus fuero. quod facillime mihi credet, qui sciat vnum Iacobum Aragonum Regem, cui rerum belli gestarum magnitudo *Expugnatoris* cognomen peperit, plus quam duo Ecclesiarum millia condidisse, & ordinem seu familiam Monachorum, qui à *Mercede* appellantur, in eorum, qui à

Turcis

Turcis & infidelibus capti iniustissimam seruitutem seruiunt, redemptione occupati, institutorem fuisse. Ceterorum Hispaniæ Regum munificentia in condendis Archiepiscopatibus, Abbatijs & Equestribus beneficijs seu militaribus Commendis magis enituit, quàm cui quicquam lucis aliunde possit accedere. Itaq; si minimè iniquum videtur, cum quis Regum vnum alterumue Monasterium statuerit ac perpetuis fructibus dotauerit, id eius pietatis erga Deum & religionis argumentum interpretari: quanto æquius videri debet Hispaniæ Reges pietatis & religionis primas ferre, quorum soli tres plures fortasse Ecclesias ac Monasteria excitarunt & regijs plane reditibus instruxerunt, quàm omnes simul Romani Imperatores Galliæq; Reges? Neq; dubium est, eos, qui iam multis abhinc sæculis in Hispania regnarunt, non minus hac virtute, quàm fidei Catholicæ sinceritate meritos, vt plus eis, quàm ceteris christianis Regibus, Summi Pontifices & sanctissima Concilia honoris deferrent. Nolo hic de Sueuorum in Hispania Regibus, tamquam a maiorum tuorum cognatione & sanguine alienis, esse longior, quamuis ad Hispaniæ gloriam non mediocriter facere intelligam, in ea multo prius & Reges & christianos & catholicos, & innumeræ multitudinis Catholicæ dominos, quàm in Gallia, inueniri. Nam Reciarius Sueuus multo maximam Hispaniarum partem iam tum anno Christi 448. imperio subiectam habebat, & Christianam Catholicam fidem cum vni-

Reges Hispaniæ multo prius christiani fuere, quàm Franciæ Reges.

uersa Sueuorum gente cumq; Hispanis & Romanis Hispaniensibus profitebatur, quod contra anno demum 496. Clodouæus Francorum Rex cum tribus non amplius suorum millibus fidem in Christum & sacrum baptisma suscepit, cùm & ceteri Franci diu paganam infidelitatem retinerent, & Burgundiones ac Gothi magnam Galliarum partem tenentes Ariana labe essent inquinati. Huius Reciarij in regno successor Ariamirus anno 561. primum Bracarense Cõcilium auctoritate sua congregauit, à quo *gloriosissimus atq; pijssimus filius* honoris causa vocatur, quod etiam Mironi, qui proxime post eum regnauit, anno 572. in secunda Bracarensi Synodo fieri videmus. Sed veniamus ad gentem Gothicam, eiusq; non modo Regem, sed & Apostolum Recaredum, à quo te originem ducere, apud historiarum peritos non minus certum & exploratum est, quàm Iulium Cæsarem olim Romæ imperasse. Huic ab vniuerso Concilio Toletano tertio anno 589. sic acclamatum legimus: *Cui à Deo æternum meritum, nisi vero Catholico Recaredo regi? Cui à Deo æterna corona, nisi vero orthodoxo Recaredo regi? Cui præsens gloria & æterna, nisi vero amatori Dei Recaredo regi? Ipse nouarum plebium in Ecclesia Catholica conquisitor. Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum impleuit officium. Ipse sit Deo & hominibus amabilis, qui tam mirabiliter Deum glorificauit in terris.* Idem Concilio Cæsaraugustano secundo *gloriosus & sanctissimus Rex* vocatur anno 592. in Concilio verò To-

Recaredus Rex & Apostolus Gothorum.

Catholicus.

Apostolicus.

letano

letano anno 597. *Christianissimus*, quemadmodum & anno 599. in concilio Barcinonensi. Similiter autem & Cinthilanus Gothorum in Hispania Galliaq; Rex à Concilio Toletano sexto cap. 19. Christianissimi appellatione ornatur anno 638. Sed & Sisebuthum Regem anno 616. pulsis ex Hispania Iudæis Christianissimum cognominatum fuisse grauissimi scriptores fidem faciunt. Regem Eruigium Leo Papa anno 684. *præcellentissimum atq; Christianissimum Regem* appellat. Gregorius quoq; septimus Ramirum & Sanctium tertium Aragonum Reges Christianissimos vocat, quo titulo similiter Alfonsus magnus Legionis & Castellæ Rex à Ioanne Papa octauo afficitur. Carolum Magnũ anno demum 813. in Maguntino Concilio Christianissimi appellatione honestari Papyrius Massonius, homo Gallus, assentientibus alijs Historicis, annotauit. Sed is nempe honos non tanquam Regi, verum vt Imperatori, tum non nisi à prouinciali Concilio delatus fuit. Imperatoribus enim id cognomen ab Ecclesia tribui solere ex Conciliorum veterum actis & Sanctorum Patrum scriptis apparet. Itaq; Caroli Magni posteris, qui non simul Imperatores essent, eum titulum nusquam tribui legimus. Ioannes Papa 22. Clemens 5. Bonifacius 8. & Martinus 5. constanter Illustres Galliæ Reges, numquam verò, quod constet, Christianissimos appellant. Et Pius Secundus in Mantuano Concilio anno 1460. Carolum VII. Galliæ Regem primum fuisse testatur, qui vltrò sibi adscito

Christianissimus.

Quando Carolus Magnus Christianissimus fuerit dictus.

Quando Reges Galliæ Christianissimi appellari cæpti.

adſcito Chriſtianiſſimi titulo ceteris ſe Principibus omnibus prætulerit. Verum quoniam amplius ac dignius Catholici, quàm Chriſtianiſſimi, nomen videtur, cum qui Catholicus ſit, eum iam Chriſtianum eſſe omnes intelligant, quam ob cauſam Chriſti Eccleſiam non Chriſtianam, ſed Catholicam in fidei Symbolo Apoſtolis vocare viſum fuit: propterea Eccleſia appellationem ſuam cum Hiſpaniæ Regibus honoris cauſa communicare voluit, vt qui Regem Catholicum nominari audiunt, ſtatim de Hiſpaniæ Rege ſermonem eſſe ſciant.

Alfonſus cognomēto Catholicus año 740.

Alfonſum primum Hiſpaniæ Regem Pelagij Regis generum tumuli eius inſcriptio Catholicum nominat, quod ipſum omnes variarum nationū ſcriptores faciunt, & Cardinalis Baronius, minime alioquin in Hiſpanos ambitioſus, duplici titulo id ei cognomen aſſerit. primùm, quia Catholicam propagarit religionem: deinde, quoniam ſucceſſerit Recaredo, cui totius Cōcilij acclamatio eum honorem prius detulerat.

Idem cognomen in ſucceſſoribus cōtinuatum.

Subinde verò Alfonſi ſucceſſores eodem cognomine inſigniri ſolitos, tabulis & monumentis publicis, quæ hodieq; extant, doceri poteſt, nominatimq; ex Caſtellæ regibus Ordonium I. circa annum 827. Sanctium Craſſum 930. Alfonſum VI. 1066. Alfonſum VIII. 1160. Ioannem I. 1379. ex Aragonijs verò Petrum I. circa annum 1094. & Petrum II. 1203.

Et iſta quidem hoc potiſſimum conſilio referre hic volui, vt quod maximos Reges & Imperatores ſupra tibi conſuadere audieras, id tibi etiam pro-

pter

pter veram apud Deum hominesq; gloriam, diuino munere à tot Regibus ad te propagatam, omnino faciendum esse intelligas. Spero etiam non temere quemquam tanta dehinc affectum fore confidentia, vt à te Monasteria & Ecclesias molestis litibus agitari aut quouis modo vexari, hoc est, periculum adiri velit, perdendi præclari illius nominis, quod tibi maiores fidei Catholicæ propagatione & defensione, tum regia in clerum pauperesq; liberalitate pepererunt, vbi te subinde *ad petram, vnde excisus es, attendere*, hoc est, STEMMA tuum inspicere, & virtutis maiorum ex eo in memoriam reuocari compererint.

Accedo nunc ad alterum caput eius consilij, quod tibi à duodecimuirali Senatu datum dixi. Facere nimirum te iubent, vt bellum Dei sit, non tuum. Hoc enim si perfeceris, victoriam te exploratam domiq; conditam habere sine vlla dubitatione existimare debes, cum Deo exercituum Domino vincendi & gloriam suam vindicandi nec voluntatem, nec facultatem deesse certum sit. Hoc autem consequeris, si corde perfecto in eum credideris. nec enim committere Deus potest, vt eos vinci sinat, aut quicquam eis neget, qui fide perfecta dant illi gloriam. Exemplum illustre habes 1. Paralip. 5. vbi pauci Israëlitæ ingentem Agarenorum multitudinem partim occidisse, partim cepisse narrantur, hac reddita eius rei causa: *Fuit enim bellum Domini*. quæ porrò res fecerit, vt bellum esset Domini, ibidem docemur: non videlicet

causæ

causæ iustitia, nec tuendæ religionis necessitas, sed *quia Deum inuocauerunt, cùm præliarentur, & exaudiuit eos, quod credidissent in eum*, contemnendo puta vires suas Deumq; opem ipsis ferre cum velle, tum posse firmissimè persuasam habendo. Sic enim in se credentes Deus sine gloriæ suæ iactura destituere nequit, ac propterea Apostolus prodigiosas multorum victorias inter magnæ fidei effe-
Hebr. 11. cta numerat: *Per fidem deuicerunt regna, fortes*
2. Paral. 16. *facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*. Nam vt ait Hanani propheta: *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum*.

Verum de hac vincendi ratione ijs, qui carnis & sanguinis vel sæculi modò prudentia sunt præditi, non facilè persuasero. Illi enim omne victoriæ momentum in militum genere & numero, commeatu, nummis, armis, rei militaris vsu alijsq; præsidijs consistere imbiberunt: si quis autem Rex ijs non abunde instructus & paratus quamuis iustissimam causam diuini fiducia auxilij bello persequi velit, eum insigniter fatuari & mox victum ac subactum ludibrio omnibus fore nihil prorsus dubitãt. Huius porrò notæ Consiliarij ipsum pæne fidei nostræ fundamentum conuellunt, omnibusq; sæculis remoram fecerunt reipublicæ ac verè fuerunt fundi Christiani calamitas. Tantum enim abest, vt victoriam Princeps Christianus, nisi armis, viris, equis, annona, ceterisq; humanis vincendi adiumentis egregie instructus parare nequeat, aut spe-
rare

re non debeat, vt numquam maius, ne vincatur, sit periculum, quàm cum istorum copia multum hostes superat. Arduum enim est homini, nihil in ijs, cùm adsunt, fiduciæ collocare. Hoc autem qui facit, Dei gloriam imminuit aut cum rebus creatis communicat, ac velut scriptura loquitur, expandit manus suas ad Deum alienum & negat Altissimum. quod quantæ sit cautionis Psalmo 43. sic significatur: *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis.* Et Iob 31. *Si putaui Aurum robur meum, & obryzo dixi, Fiducia mea: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Atqui Deus fortis est zelotes, qui alteri gloriam suam dari fert grauissime. Cuius *virtus* quoniam *in infirmitate perficitur*, hoc est, perfectior apparet, magisq; illustratur, cum infirmissimis instrumentis res maximæ peraguntur, propterea non ita facile ijs, quos diligit, victoriam tribuit, si naturalibus & ordinarijs victoriæ conficiendæ adiumentis satis ornati, quàm si ab ijs imparatiores sint. Hoc tibi Gedeonis & Amasiæ suasoria satis planū facere debuit. Qui hodiè aliam rem esse, Deum miracula priscis illis similia hodiè non facere, regemq; imparatum frustra opem diuinam exspectare cōtendunt, eos ego nō optimæ sane notæ Christianos, & in sacris literis hospites, in historijs etiam omnium sæculorum aut parum versatos esse, aut oscitanter aliudq; agendo eas legisse facile de-

monstrauero. Populus tuus Hispanicus totos iam nongentos annos pro aris ac focis, proq; dei gloria & Ecclesia Catholica aduersus Saracenos, paganos, & Hæreticos continenter pugnauit, sæpius tamen, si verum quærimus, cùm viribus esset inferior, hostes vicit, quàm cum aut par hostibus aut superior videretur. Hoc satis cõstat omnibus, qui veteres ac recentiores Hispanarum rerum historias legerunt. Alfonsi quidem Alburquerquij, fortissimi, prudentissimi, & rebus in India gestis illustrissimi Ducis milites Turcos aliosq; Saracenos & paganos non minus animatos, quàm armatos, feliciter fuderunt ac fugarunt, cum singulis Hispanorũ quingenti hostes essent oppositi. quod ipsum ferè diuini Herois & omnium, qui post homines natos vsquam fuerunt, Imperatorum gloriam supergressi Ferdinãdi Cortesij copijs vsu venit. qui perspicuo id miraculo contigisse neget, quis eum Christianũ, imò quis hominem saltem esse credat? *Gens absq; consilio est & sine prudentia*, ait de Israëlitis Moses. *Vtinam saperent & intelligerent & nouissima prouiderent. quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? Nonne ideò, quia Deus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?*

Deut. 32.

Vides, Rex, consilium ijs & prudentiam deesse, qui diuinas causas & viribus humanis superiores in Hispanorum tuorum victorijs non perspiciunt. Nõ igitur committes, vt eos potius, quam clarissimos illos duodecemuiros à me excitatos audias, sed ita

potius

potius te cōparabis, vt Fidei magnitudine successuum prosperitatem ac Victoriam Deo vel extorqueas.

Ceterum quoniam nihil impēsius molitur Satan, cui caro & sanguis siue humani ingenij infirmitas hac etiam in re operam nauat, quàm vt Magnam fidem, qua se vinci testatur Deus, vt etiam *obediat voci hominis*, vel prorsus nobis eripiat, vel certè deterat & imminuat: propterea operæ pretium mihi facere visus sum, si Reges ac Principes Catholicos de illius cùm necessitate, tum instaurandæ, augendæ & cōfirmandæ modis accuratius monerem, & eorum suasorijs, qui de repub. non aliter disserunt, quàm si nihil vmquam de Christo inaudissent, ea reponerem, quæ non Cornelius aliquis Tacitus, scriptor impius, qui Atheorum, quales fere discipulos facit, Canon est, sed verus non modò fidei, spei & charitatis, sed etiam Prudentiæ Christianæ thesaurus, librorum dico à spiritu sancto dictatorum Codex diligentius quærentibus suppeditat, & omnium ætatum exempla magnopere confirmant. Septem quidem iam anni sunt, cùm eius argumenti librum scripsi, & quicquid in eamdem sententiam dici posse videbatur, Matthiæ Heldo, aui tui Diui Caroli Consiliario, & Imperiali Procancellario tribui, quoniam ei viro nihil Catholicæ fidei conseruatione, & Ecclesiarum ac Monasteriorum aduersus sacrilegos Principes tutela antiquius fuisse acceperam, & ex consilijs eius repudiatis, velut

Iosu. 10.

Errata Classici sic emendabuntur.

PAg. 5. versic. vltimo pro, *monetur*, lege, *monitus*. Pag 9. v. 12. pro, *iurari*, lege, *iurati*. Pag. 16. vers. antepen. pro, C. pone signum Parenthesios. Pag. 19. vers. 7. pro, *tribus*, lege, *tribu*. Pag. 27. vers 30. lege, *deferendi*. Pag. 28. vers. 37. dele, *Gens & regnum*. Pag. 30. vers. 30. pro, *cuius*, lege, *eius*. Pag. 32. vers. 30. lege, *induendorum*. Pag. 40. vers. 13. pro *Nunc*, lege, *Hunc*. Pag. 56. vers. 36. lege, *consulere*. Pag. 57. vers. 11. pro, *Principes*, lege, *Participes*, Pag. 59. vers. 27. lege, *redaccendas*. Pag. 61. vers 30. lege, *ipsis datam*. Pag. 65. vers. 38. pro, *credenda*, lege, *petenda*. Pag. 66. vers. penult. pro, *semel*, lege, simul.

STEMMA
AVGVSTAE DOMVS
AVSTRIAE

REX CATHOLICE
ceterique Auſtrij Principes

Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis,
& ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis, Iſai. 51.

Virgil. III. Aeneid.

Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles,
Et pater Aeneas & auunculus excitat Hector?



CATALOGVS MAIORVM
PHILIPPI TERTII
à quibus ipse recta serie descendit.



Imperatores Romanorum xxiv.

CArolus Magnus. Ludouicus Pius. Arnolfus. Henricus Auceps. Otto Magnus. Conradus Salicus. Henricus iii. Henricus iv. Henricus vi. Fridericus Barbarossa. Philippus. Fridericus ii. Alfonsus. Rudolphus i. Albertus i. Henricus vii. Carolus iv. Sigismundus. Albertus ii. Fridericus iv. Maximilianus i. Carolus v. Ferdinandus. Maximilianus ii.

Imperatores Græcorum iii.

Isaacius Comnenus. Alexius Comnenus. Isaacius Angelus.

Imperatores Hispaniarum v.

Sanctius Magnus vel Maior. Ferdinandus Magnus. Alfonsus vi. Alfonsus vii. Alfonsus i. Arago.

Reges Germaniæ ii.

Ludouicus Senior. Carolomannus.

Reges Gothorum, Castellæ & Legionis. xxix.

Leuuigildus. Reccaredus. Veremundus i. Ranimirus i. Ordonius i. Alfonsus Magnus. Ordonius ii. Ranimirus ii. Ordonius iii. Veremundus ii. Alfonsus v. Sanctia. Vrraca. Ferdinandus ii. Sanctius iii. Alfonsus viii. Alfonsus ix. Ferdinandus Sanctus. Sanctius iv. Ferdinandus iv. Alfonsus xi. Petrus Crudelis. Henricus ii. Ioannes i. Henricus iii. Ioannes ii. Isabella. Philippus i. Philippus ii.

Reges Soprarbienses & Aragoniæ xx.

Eximinus. Innicus Arista. Garsias Innici. Sanctius Abarca. Garsias Abarca. Sanctius Galindus. Garsias Tremulus. Ranimirus. Petronilla. Alfonsus Castus. Petrus Catholicus. Iacobus Expugnator. Petrus Magnus. Iacobus Iustus. Alfonsus Benignus. Petrus Ceremoniosus. Eleonora. Ferdinandus Honestus. Ioannes Magnus. Ferdinandus Catholicus.

Reges Nauarræ, seu Vasconum xi.

Garsias iv. Sanctius Garsias. Ramirus. Garsias Ramiri. Sanctius Sapiens. Theobaldus i. Henricus. Philippus ii. Carolus ii. Carolus iii. Gasto Foxius.

Reges Portugalliæ x.

Alfonsus i. Sanctius i. Alfonsus ii. Alfonsus iii. Dionysius. Alfonsus iv. Petrus Crudelis. Ioannes bonæ memoriæ. Eduardus. Emmanuel.

Reges Siciliæ v.

Rogerius. Carolus i. Carolus ii. Fridericus i. Petrus ii.

Reges Franciæ xxi.

Pharamundus. Claudius Comatus. Merouæus. Childericus. Clodouæus. Clotharius. Robertus i. Hugo Capetus. Robertus ii. Henricus i. Philippus i. Ludouicus vi. Ludouicus vii. Philippus ii. Ludouicus viii. S. Ludouicus ix. Philippus iii. Philippus iv. Philippus vi. Ludouicus x. Ioannes Valesius.

Reges Burgundiæ iii.

Rudolfus i. Rudolfus ii. Conradus.

Reges Angliæ xiv.

Egbertus. Edelfus. Alardus. Edouardus senior. Edmundus. Guilelmus. Henricus i. Henricus ii. Ricardus. Ioannes. Henricus iii. Edouardus ii. Edouardus iii. Edouardus iv.

Reges Vngariæ x.

Bela i. Bela ii. Geisa ii. Bela iii. Andreas ii. Bela iv. Stephanus v. Carolus Martellus. Carobertus. Ludouicus.


Reges Poloniæ x.

Boleslaus i. Miesco ii. Casimirus i. Vladislaus. Boleslaus iii. Casimirus ii. Vladislaus Cubitalis. Casimirus Magnus. Iagello Vladislaus. Casimirus iv.

Reges Boemiæ viii.

Vratislaus i. Vladislaus. Premislaus. Vuenceslaus. Ottocarus. Vuenceslaus ii. Ioannes. Vladislaus.

Imperatores	xxxii.
Reges	cxliii.



STEMMA COMITVM
VINDONISSÆ, ALTENBVRGI,
ET HABSBVRGI VSQ. AD
PHILIPPVM III.
REGEM CATHOLICVM.

I.

1

Vilibaldus patricius seu præfectus Vltraiuranus seu minoris Burgundiæ, generis nobilitate & opum affluentia clarus, vt scribit Aimo anno 636.

2

Otbertus Comes Vindonissæ & Altenburgi, conditor Monasterij S. Trutberti obijt 667.

3

Ambertus siue Ambrinctus, conditor Ambringesburgi in Alsatia 688.

4

Hettobertus bello Alemannico interfectus 724.

5

Rambertus instaurator Monasterij S Trutberti obijt 771. — Hetto Episcopus Argentinensis obijt 780.

6

Guotramus I. conditor Arcis Scharffstein in valle Trutbertina obijt 824.

7

Luitfridus I. obijt anno 855. — Luithardus Comes, inter fundatores Monasterij Gengenbach.

8

Luitfridus II. cuius extat Diploma, in quo vocatur Comes Illustris, & Otbertum ac Rambertum maiores suos nominat, multaq; donat Monasterio S. Trutberti anno 900.

9

Humfridus conditor opidi prope S. Trutbertum obijt 918 — Hugo, conditor & Abbas Monasterij Hugeshoue.

10

Guotramus II. cognomento diues obijt 946.

11

Landolus vel Lanzelinus I. conditor Monasterij Sulzbergæ, vbi & sepultus 991 — Birchtilo Comes Brisiacæ cõditor Monasterij Vualdchirch, viuebat 1008.

Vuet-

12

Vuernerus Episcopus Argentinę obijt 1027. cōdidit arcem Habsburg, ab eaq; fratris filios ac posteros cognominari voluit.

Ratbotus Comes, cuius vxor Ita Lotharinga obijt 1077.

13

Vuernerus Pius, primus Comes Habsburgi obijt 1096

14

Otto Comes Habsburgi 1109.

15

Vuernerus II obijt 1143.

16

Vuernerus III. obijt 1163

17

Adalbertus bellator egregius obijt 1199.

18

Rudolphus I. Comes Habsb Landgrauius Alsatiæ, dominus Laufenbergæ obijt 1232.

19

Adalbertus II. obijt 1240.

20

Rudolphus II. ex Comite Habsb. & Landgrauio factus Imperator 1273. obijt 1291.

21

Albertus Dux Austriæ, factus Imperator 1299. obijt 1308.

Lādolus II. Comes Brisiacæ obijt 1036

Rudolfus conditor Monasterij Otmarsheim

Berchtoldus Conditor castri & comitatus Zeringēsis ab Henrico V. Imp factus dux Carinthię 1061 obijt 1078

Berchtoldus II. factus dux Zeringensis 1081. obijt 1111.

Conradus dux Zering. & Rector Burgundiæ obijt 1152.

Berchtoldus IV. dux & Rector obijt 1184.

Berchtoldus V. obijt 1186.

Berchtoldus VI. obijt 1218.

Hermannus Marchio post Monachus Cluniacensis obijt 1074.

Hermannus II. Marchio Badensis à quo descendunt hodierni Marchiones, quorum qui sunt Catholici ab Hæretico pulsi gētilium Austriorū ope in integrum restitui desiderāt.

22

Albertus Contractus Dux Austriæ.

Fridericus III. Pulcher Imperator 1314. obijt 1330.

23

Leopoldus Probus Dux Austriæ obijt 1389.

24

Ernestus Ferreus Dux Austriæ.

25

Fridericus IV. Imperator 1440. obijt 1493.

26

Maximilianus I. Imp obijt 1519.

27

Philippus I Rex Hispaniæ 1504. obijt 1506.

Albertus cum Trica Dux Austr.

Albertus Mirabilia Mundi Dux.

Albertus II. Imper. 1438. obijt 1439.

Ladislaus Rex Bohem. & Vngar.

28

Carolus V. Imperator 1519. obijt 1558.

Ferdinandus Imperator 1556. obijt 1564.

29

Margarita, vxor Octauij Farnesij Ducis Parmæ.

30

Alexander Poliorcetes Dux Parmæ.

31

Rainutius Dux Parmæ.

29

Philippus II. Rex Hisp. obijt 1598.

30

Philippus III. Rex natus 1578.

31

Philippus IV. Hisp. Princeps.

19

Maximilian. II. Imperator obijt 1575.

30

Rudolphus II. & Mathias Imperatores.

Carolus Archidux Austriæ obijt 1590.

Ferdinandus Rex Bohemiæ & Vngariæ natus 1578.

Leonora vxor Guilelmi Ducis Mantuæ.

30

Vincentius Dux

31

Ferdinandus Dux Mant. & Montisf.

Stem-

Stemma Regum Gothicorum & Castellæ ac Legionis vſque ad Philippum III.

1

Seuerianus Dux prouinciæ Carthaginenſis
Vxor Theodora Regij Gothorum ſanguinis.

2

S. Leander Epiſcopus

S. Iſidorus Hiſpalenſis.

Theodoſia Regina vxor Leuuigildi Regis Gothorum, quē Liuua frater regni conſortē dixit anno 568. obijt Catholicus 586.

S. Fulgentius Epiſcopus.

S. Florentina Virgo.

3

S. Herminigildus Rex & Martyr occiſus 586.

Reccaredus Christianiſsimus & Catholicus Gothorū, Sueuorū & Hiſpanorum Rex obijt 601.

4

Geila vel Agilanus frater Liuuæ & Suinthilæ Regum & patruus Recimiri Regis.

5

Petrus Dux Cantabriæ.

6

Alfonſus Catholicus Rex 739. obijt 757. vxor Ormiſinda filia Pelagij Regis, qui cæpit 714. obijt 737. cuius filius Fauila Rex obijt 739.

Froilanus Dux Cantabriæ.

7

Veremundus Rex 788. obijt 791.

Aurelius poſtquam Froilam occidit Rex 768. obijt 774.

8

Ranimirus 1. Rex 844. obijt 851.

9

Ordonius 1 Rex 851. obijt 862.

Adoſinda vxor Silonis qui cępit regnare 774. ob. 784.

Froila Rex 757 ob. 768

Alfōſus 11 Caſtus Rex cæpit 774. pulſus regno, ſed poſt reſtitutus 791. ob. 967.

Mauregatus ſpurius Rex 784 obijt 789.

10

Alfonſus 111. Magnus Rex 862. obijt 910.

11

Ordonius 11. Rex 913. ob. 923.

Froila 11. Rex 923. ob. 924.

Garſias Rex 910 ob. 913.

12

Ranimirus 11. Rex 931. ob. 950.

Alfonſus 1v. Rex 924.

Ordonius 1v. Malus Rex

13

Sācius Craſſus Rex 955. ob. 967.

Ordonius 111. Rex 950. ob. 955.

Ranimirus 111. Rex 967. ob. 982.

14

Veremundus 11. Podagricus Rex 982. obijt 999.

15

Alfonſus v. Rex 999. ob. 1028.

COMITES CASTELLÆ.

Nunius Raſura electus Iudex Caſtellæ.

Conſaluus Nunij Iudex.

Ferdinandus Conſaluus bellatmaximus Comes Caſtellæ circa annum 912.

Garſias Ferdinandi Comes,

Sanctius Comes obijt 1028.

Eluira, cuius maritus Sanctius Magnus.

Ferdinandus Magnus.

16

Eximina vxor Iacobi Ducis Aſtur.

Eximina Diaſa vxor Roderici Viuarij Cidi.

Veremundus 111. Rex 1028. ob. 1038.

Sanctia Regina 1038. cuius maritus Ferdinandus Magnus primus Rex Caſtellæ, filius Sanctij Magni Hiſpaniæ Imperatoris. obijt 1065.

17

Sanctius 11. Fortis Rex 1065. obijt 1073.

Alfonſus v1. Fortis Hiſpaniæ Imperator 1073. obijt 1109.

18 Tara-

18

Tarasia Regina vxor Henrici Comitis Burgundię, à quo descendunt Reges Portugalliæ. Vide Stemma v.

Vrraca Regina obijt 1126. cuius maritus Raimundus Comes Burgundiæ Regij generis obijt 1098.

19

Alfonsus VII. Rex 1122. renunciatus Imperator Hispaniarũ 1135. obijt 1157.

20

Ferdinandus II. Rex Legionis 1157. obijt 1188.

Sanctius III. desideratus Rex Castellæ 1158. obijt 1160. Vxor Blanca filia Garsiæ Regis Nauarræ.

21

Alfonsus IX. Rex Legionis 1200. obijt 1230. Vxor Berengaria filia maior Alfonsi VIII. Regis Castellæ.

Alfonsus VIII. Rex Cast. 1160. ob. 1214. Vxor Eleonora filia Ricardi I. Regis Angl.

22

Infans Alfonsus de Molina.

Maria vxor Sanctij IV.

Ferdinandus III. Sanctus Rex Legionis, & Castellæ 1216. ob 1252. Vxor Beatrix filia Philippi Sueui Imp.

Hẽricus I. Rex Castel. 1214. ob. 1216.

Berengaria mater Ferdinãdi sancti Regis Hisp.

Blanca mater Ludouici sancti Regis Galliæ.

23

Alfonsus X. Sapiens, & Astrologus Rex 1252. electus Rom Imperator 1258. obijt 1258.

Emmanuel Infans Castellæ.

Ioannes Emmanuel, cuius vxor Blanca de la Cerda.

24

Ferdinãdus de la Cerda. Vxor Blanca filia S. Ludouici Reg. Gall.

Alfonsus de la Cerda.

Ferdinãdus II. de la Cerda.

Blanca vxor Ioan. Emmanuelis.

Sanctius IV. Rex 1284. ob. 1295.

Ioanna vxor Henrici II. Reg. Castell.

Constantia vxor Petri Reg. Portugal.

25

Ferdinandus IV. Rex 1295. obijt 1312.

26

Alfonsus XI. Rex 1312.

27

Petrus Crudelis Rex 1350. ob. 1369 C. Maria Padilia.

28

Constantia, vxor Ioannis Ducis Lancastriæ.

29

Catharina vxor Henrici III.

Henricus II. ex Eleonora Gusmanna Rex 1369. Vxor Ioanna filia Ioannis Emmanuelis. obijt 1379.

28

Ioannes I. Rex 1379. obijt 1390. Vxor Eleonora filia Petri IV. Reg. Arag.

29

Henricus III. Rex 1390. ob. 1407. Vxor Catharina Lancastria.

Ferdinandus Honestus Rex Aragon. 1412. ob. 1416.

30

Ioannes II. Rex 1407. obijt 1454.

30

Ioannes Magnus Rex Aragon. 1416. ob. 1479.

31

Henricus IV. Rex 1454. obijt 1474.

Isabella Regina 1475. vxor Ferdinandi Catholici 1471 obijt 1504.

31

Ferdinandus Catholicus obijt 1516.

Ioanna

32
Ioanna Regina vxor Philippi I Austriæ Archiducis, qui obijt 1506.

33
Carolus V. Imp. cæpit regnare in Hispania 1516.

34
Philippus II. Rex 1556. vxor Anna filia Maximil. II. Imp.

35
Philippus III. Rex 1598. vxor Margarita filia Caroli Austriæ Archiducis, soror Ferdinandi Regis Bohemiæ & Vngariæ.

III. Stemma Regum Aragoniæ vsq; ad PHILIPPVM III.

1
Eximinus siue Ximenus Rex Aquitaniæ.

2
Innicus Arista Rex quintus Suprarbiensis ob. 870.

3
Garsias Innici sextus Rex Suprarb. vxor Vrraca filia vltimi Comitis Aragon. ob. 885.

4
Sanctius Abarca primus Rex Aragoniæ obijt 933.

Fortunius II. Rex Suprarb. factus Monacus 901

5
Garsias 1. Abarca ob. 969.

6
Sãctius II. Galindus ob. 990

7
Garsias II. Tremulus obijt 1000.

8
Sanctius Magnus, vel Maior Hispaniæ Imperator obijt 1034. vxor prior Caja domina de Aiuar, altera Eluira filia Comitis Castellæ.

9
Garsias Rex Nauarræ Vide Stẽma IV.

Ferdinandus Magnus, á quo descendunt Reges Castellæ. Vide Stemma II.

Ranimirus ex priore vxore Rex Aragoniæ dictus Christianissimus obijt 1063.

10
Sanctius IV Rex Arag. ob. 1094.

11
Petrus I. Rex Arag. ob. 1114.

Alfonsus I. dictus Hispan. Imperator ob. 1134.

Ranimirus II. Monachus, Rex Arag. ob. 1147.

12
Petronilla Regina Arag. ob. 1173 vxor Berengarij Comitis Barcinonensis.

COMITES ARAGONIÆ

Azenarius I. Comes Aragoniæ obijt 795.

Eximinus Garsias IV. Comes

Garsias Azenarius Comes V. ob 832.

Fortunius Eximinus Comes VI. ob. 868.

Vrraca, vxor Garsiæ Innici.

Galindus Comes II. ob. 815.

Eximinus Azenarius Comes III

COMITES BARCINONIS.
Potentissimi.

Goffredus primus Comes

Sunerius tutor filij fratris.

Borellus Comes IV.

Raimundus Borellus Comes.

Miro Comes II.

Xiffreus Com. III.

Berengarius Comes.

Raimundus Berengarius Vetus.

Raimundus Bereng. II. Com. Caput stupa dictus.

Raimundus Berengatius III. Comes.

Raimundus Berengarius IV. Comes Barcin. Princeps Arag. Vxor Petronilla. obijt 1162.

Alfon-

13
Alfonsus II. Castus Rex Arag. ob. 1196.
14
Petrus II. Catholicus obijt 1213.
15
Iacobus I. Expugnator ob. 1276.
16
Petrus III. Magnus obijt 1285.
Vxor Constantia neptis Friderici II. Imp. ex Manfredo Rege Siciliæ.

17

Alfonsus III. Beneficus ob. 1291.

Iacobus II. Iustus ob. 1327.
18.
Alfonsus IV. Benignus ob. 1336.
19
Petrus IV. Ceremoniosus ob. 1388. Vxor Eleonora filia Petri siculi.

Fridericus Rex Siciliæ Dux Athenar. ob. 1337.
Petrus II. Rex Sicil. ob. 1342.

Eleonora vxor Petri Ceremon.

Ludouicus Rex Sicil. ob. 1355.

Fridericus simplex Rex Sicil. 1376.
Maria Regina vxor Martini Regis Sicil. ob. 1401.

20

Ioannes I Rex Arag. ob. 1395.

Eleonora Regina, vxor Ioannis I. Regis Castellæ.
21
Ferdinandus I. Honestus Rex Aragoniæ obijt 1416.

Martinus Rex Arag. ob. 1410.
Martinus Rex Siciliæ obijt ante patrē.

22

Ioannes II. Magnus Rex Aragon & Nauar. ob. 1479.
23
Ferdinandus II Catholicus obijt 1516.
24
Ioanna Regina vxor Philippi I Austriaci.
25
Carolus V. Imperator.
26
Philippus II.
27
Philippus III.

Alfonsus V. Sapiens & Magnanimus Rex Arag. Sicil. Neapol. obijt 1458.
Ferdinandus Rex Neapol. ob. 1494.

Alfonsus II. Rex Neapol. ob. 1495.
Ferdinand. II Rex Neapol. ob. 1496.

Fridericus Rex Neap. post Ferd. II. exactus regno 1501.
Alfonsus dux Calabriæ prorex Valentiæ.

IV. Stemma Regum Nauarræ, seu Vasconum.

1
Garsias Rex Nauarræ Sanctij Magni filius occisus 1053.
2
Sanctius Garsias obijt 1076.
3
Ramirus, cuius vxor Christiana filia Roderici Diaz Viuarij, quam vulgo perperam vocant Eluiram.

Lainus Caluus Iudex Castellæ.
Ferdinandus Laini.
Lainus Ferdinandi.
Nunius Laini.
Lainus Nunij.
Didacus Laini, vir opulentissimus.
Rodericus Viuarius, dictus Cid, id est, dominus Regum multorum domitor & triumphator. Vxor eius Eximina Diasia filia ducis Astur, & neptis Alfonsi V. regis Castellæ.
Christiana, vxor Ramiri Regis.

Garsias

4

Garsias Ramiri obijt 1150.

5

Sanctius Sapiens ob. 1195

6

Sanctius Fortis obijt 1235.

Blanca Regina vxor Theobaldi Comitis Campaniæ, qui obijt 1254

7

Theobaldus II. Rex obijt 1271.

Henricus Crassus ob. 1274.

8

Ioanna Regina vxor Philippi Pulchri Regis Galliæ qui obijt 1314.

9

Ludouicus Hutinus Rex Nauarræ & Galliæ obijt 1316.

10

Ioanna Regina vxor Philippi III. Regis Comitis Aurel. qui ob. 1346.

11

Carolus II. Rex Nauarræ obijt 1386.

12

Carolus III. obijt 1425.

13

Blanca, prima vxor Ioannis II. Regis Aragon. & Nauarræ qui obijt 1479.

14

Eleonora vxor Gastonis Comitis Foxij, post obitum patris regnauit dies 15. Ipse obijt 1472.

15

Gasto Foxius obijt ante patrem 1470.

Francisc-cus Phæbus Rex Nauar. 1482. ob. 1484.

Catharina Regina, vxor Ioannis Labretani.

|

Henricus Labretanus Comes Bearnij.

|

Ioāna vxor Antonij Burbonij, qui obijt 1562.

|

Henricus IV. Galliæ Rex,

Catharina, vxor Gastonis Foxij Gandalæ Comitis.

16

Anna, vxor Ladislai Regis Vngariæ.

17

Anna, vxor Ferdinandi Imp.

18

Maximilianus II. Imp.

19

Anna vxor Philippi II.

20

Philippus III.

Ioannes Viceeomes Narbonensis.

|

Gasto Foxius ad Rauennam cęsus 1512.

Germana vxor secunda Ferdinandi Catholici.

Philippus Longus Rex Nauar. obijt 1321.

Carolus Pulcher Rex Nauar. 1328.

Blanca, vxor Sanctij III. Regis Castellæ.

6

Alfonsus VIII. Rex Castellæ.

7

Berengaria vxor Alfonsi IX. Regis Legionensis.

8

Ferdinandus Sanctus, à quo XIII. gradibus distat Philippus III. à Cido vero XIX. vide Stemma II.

V. Stemma Regum Portugalliæ.

1 Reginaldus Comes Burgundiæ regiæ prosapiæ 1045. Vxor Adelissa filia Riccardi Ducis Nordmanniæ.

2 Guido Comes Vernonensis & Brioniensis. Vxor Ioanna filia ducis Burgundiæ.

Guilelmus Comes Burgundiæ.

- Raimundus Comes Galeciæ, maritus Vrracæ filiæ Alfonsi VI Regis Castellæ, à quo descendunt Castellæ Reges. Vide Stemma II
- Stephanus Comes Burgundiæ.
  - Guilelmus Puer Comes Burgundiæ occisus 1126.
- Callistus II. Papa.

3 Henricus ducta vxore Tarasia filia Alfonsi VI Regis Castellæ, Comes Portugalliæ per 21 annos. obijt 1112.

4 Alfonsus I. Rex Portugalliæ obijt 1185.

5 Sanctius I. Rex obijt 1212.

6 Alfonsus II. Crassus rex 1224.

7 Alfonsus III. Rex 1279.

Sanctius II. Capellus Rex 1246.

8 Dionysius Rex 1325.

9 Alfonsus IV. Ferox Rex 1357.

10 Petrus Crudelis Rex 1368

11 Ioannes I Bonæ memoriæ Rex obijt 1433.

Ferdinandus Rex obijt 1383.

12 Eduardus Rex 1438.

13 Ferdinandus Infans, Dux Visei obijt 1470.

14 Emmanuel Rex 1521.

15 Isabella Augusta, vxor Caroli V. Imp. ob. 1539.

Ioannes III. Rex 1557.

- Ioannes Princeps obijt ante patrem 1554.
  - Sebastianus Rex cæsus in Africa 1578.

16 Philippus II. Rex.

17 Philippus III.

Origo

Origo Regum Franciæ & Burgundiæ, quorum Sanguis in Philippi III. prosapiam est deriuatus.

1

Varmundus siue Pharamundus Marcomiri filius primus Rex Francorum in Germania creatus 417. obijt 431.

2

Clodio Comatus II. Rex obijt 448.

3

Merouaeus III. Rex obijt 458. Ab hoc Reges Francorum vsque ad Chilpericum III dicti Merouingi.

4

Childericus IV. Rex obijt 484. Hoc Rege Franci Gallias incolere cæperunt.

5

Clodoueus V. Rex Romanos omni Gallia exegit, factus Christianus 496. obijt 514.

6

Clotharius XI. Rex obijt 564.

7

Radegundis, vel Blitildis, vxor Amberti viri nobilis inter Francos, cuius patrem Sigebertum vocant.

8

Arnoldus.

9

S. Arnolphus Maiordomus Clotharij Regis iunioris ob. 639

10

S. Clodolphus.

11

Martinus Dux Austrasiæ occisus 687.

12

Chilbrandus Dux peditatus Francici

13

Theodericus Comes.

14

Hugo Abbas & Dux Andegauensis.

15

Cõradus Comes minoris Burgũd.

16

Rudolphus I. Rex Burgund. A quo originem ducit Philippus III Vide Stemma X.

14

Robertus Comes Andegauensium obijt 867.

15

Robertus Rex Franciæ obijt 922.

16

Hugo Magnus Dux Francorum obijt 957.

17

Hugo Capetus Rex Franciæ 988. obijt 996 Ab hoc descendunt omnes Galliæ Reges vsq; in hanc diem, atq; etiam Philippus III. Vide Stemma IX.

10

Vualchisus.

I

S. Vuand regisillus.

10

Ansegisus Maiordomus Austrasiæ Regum obijt 685.

11

Pipinus Crassus Princeps Austrasiæ ob. 717

12

Carolus Martellus Austrasiæ Princeps (ob. 741.

13

Pipinus Breuis ex Maioredomus Rex Franciæ 751. obijt 768.

14

Carolus Magnus Rex Franciæ 769. Imperator Romanus 801. obijt 814.

15

Ludouicus Pius Imperator obijt 840.

16

Ludouicus senior Rex Germaniæ ob. 876.

17

Carolomannus Rex Bauariæ & Italiæ obijt 880.

18

Arnolphus Imperator obijt 899.

19

Luitgarda, vxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ, qui obijt 918.

20

Henricus Auceps Imperator 919. obijt 936. Huius posteros vide Stemmate VII.

Stemma Imperatorum Saxonici & Sueuici sanguinis vsque ad Philippum III.

20

Henricus Auceps Saxo Imperator cuiusorigo ex Franciæ Regibus modo est declarata.

21

Henricus Rixosus Dux Bauariæ factus 948. obijt 955.

Mezelo Dux Bauariæ obijt 997.

S. Henricus II. Imperator 1002. obijt 1024.

Otto Magnus Imperator obijt 973. Vxor Edgitha filia Edmundi Regis Angliæ.

Heduigis, vxor Hugonis Magni, mater Hugonis Capeti, à quo descendunt Galliæ Reges. Vid. Stemma IX.

22

Ludolphus Dux Alemanniæ siue Sueuiæ ducta Ita filia Hermanni Ducis Sueuiæ obijt 957.

Otto II. Imp. obijt 983.

Otto III. Imp. obijt 1002.

23

Otto Dux Sueuiæ & Bauariæ obijt 982.

24

Henricus

25

Conradus I. Salicus Imperator 1024 obijt 1039. Vxor Gisela filia Hermanni III. Ducis Sueuiæ, neptis Conradi Regis Burgundiæ.

26

Henricus III. Niger Imp. obijt 1056.

27

Henricus IV. senior Imp. obijt 1106

28

Henricus V. Imp. obijt 1125.

Agnes, vxor Friderici Vuaiblingensis de Hohenstauffen Ducis Sueuiæ.

29

Côradus II. Imp. 1129. obijt 1152.

Henricus Imp. ante patrem obijt.

Fridericus Vnoculus Dux Sueuiæ.

30

Fridericus I. Barbarossa Imp. 1152. obijt 1190

31

Philippus Imp. 1199. ob. 1208. Vxor Irene filia Isaacij Angeli Imperatoris Constantinop.

32

Cunegundis, vxor Vuenceslai Ortocari Regis Bohemiæ, à quo directa serie ad Philippum III. numeratur gradus XII Vide Stemma

Beatrix, vxor Ferdinandi Sancti Regis Cast. obijt 1235.

33

Alfonsus X. Rex Castel.

34

Sanctius IV.

35

Henricus VI. Imp. 1170. obijt 1198. Vxor Constantia filia Rogerij Regis Neapolis, & Siciliæ.

32

Fridericus II. Imp. 1210. ob. 1250.

33

Conradus III. Imp. 1234. ob. 1254

Conradinus Rex Nepol. & Sicil. 1268.

Manfredus Rex Neapol. & Sicil. obijt 1286.

34

Constantia Regina, vxor Petri Magni Regis Arag.

35

Henricus Imp. obijt ante patrē 1235.

Fer-

35
Ferdinandus IV.
36
Alfonsus XI.
37
Henricus II.
38
Ioannes I.
39
Henricus III.
40
Ioannes II.
41
Isabella Catholica.
42
Ioanna vxor Philippi I.
43
Carolus V. Imp.
44
Philippus II.
45
Philippus III.

35
Iacobus II. Rex Arag.
36
Alfonsus IV. Rex Arag.
37
Petrus IV. Rex Arag.
38
Eleonora Regina, vxor Ioannis I. Regis Castellæ
39
Ferdinandus I. Rex Arag.
40
Ioannes II. Rex Arag.
41
Ferdinandus Catholicus.
42
Ioanna vxor Philippi I.
43
Carolus V. Imp.
44
Philippus II.
45
Philippus III.

VIII. Origo duplex Philippi III. ab Imperatoribus Græcis Constantinop.

1
ISaacius Comnenus, vir nobiliss. Imperator 1057. abdicauit se Imperio Monasterium ingressus 1159.
2
Alexius Comnenus Imp. 1081. obijt 1118.
3
Theodora vxor Constantini Angeli
4
Andronicus Angelus.
5
Isaacius Angelus Imperator 1185. obijt 1204.
6
Irene, vxor Philippi Sueui Imp.
7

Beatrix, vxor Ferdinandi Sancti Regis Castellæ, à quo ad Philippum III. sunt XIII. gradus. Vide Stemma II.

Cunigundis, vxor Vuenceslai Ottocari Regis Bohemiæ, à quo ad Philippum III. Sunt XII. gradus, Vide Stemma XIV.

Origo

Origo quintuplex Philippi III. ab Hugone Capeto alijsque Capetinis Galliæ Regibus.

1
HVgo Magnus Parisiorum & Andium Comes cuius maiores Stemmate VI. recensentur. Vxor Heduigis filia Henrici Aucupis Imp.

2
Hugo Capetus Rex Galliæ 988. obijt 996.

Heduigis, vxor Friderici Ducis Lotharing.

3
Robertus II. Rex 997. obijt 1030.

3
Ita, vxor Ratboti Comitis Vindonissæ.

4
Henricus I. Rex 1031. ob. 1060.

4
Vuernerus I. Comes Habspurgi. A quo ad Philippum III sunt XVII. gradus. Vide Stemma I.

5
Philippus I. Rex 1061. ob. 1109.

6
Ludouicus VI. Crassus Rex 1110. ob 1138.

7
Ludouicus VII. Rex 1138. ob. 1180

8
Philippus II. Augustus Rex 1181. ob. 1223.

9
Ludouicus VIII. Rex 1224. ob. 1226

10
S. Ludouicus IX Rex 1227. ob 1270

Carolus I. Tardus Rex Siciliæ & Neap.

11
Philippus III. Audax Rex 1271. obijt 1285.

Blanca, vxor Ferdinandi de la Cerda.

11
Carolus II Rex Siciliæ. Ab hoc ad Philippum III sunt X gradus. Vide Stemma XIII.

12
Ferdinandus de la Cerda.

13
Blanca, vxor Ioannis Emmanuelis.

14
Ioannes I. Rex Castellæ. Ab hoc ad Philippum III. Castellæ Regem sunt VII gradus. Vide Stēma II.

Philippus IV. Pulcher Rex 1286 ob. 1313

13
Ludouicus X Hutinus Rex Galliæ & Nauarræ 1314. ob. 1315 Ab hoc Ad Philippum III. Nauarræ Regem sunt XI gradus Vide Stēma IV

12
Carolus Comes Valesius ob. 1325

13
Philippus VI. Valesius Rex 1328. ob. 1350.

14
Ioannes Valesius Rex 1350. ob. 1364.

15
Philippus Valesius Dux Burgundiæ obijt 1404.

16
Ioannes Intrepidus Dux Burg. ob. 1419.

17
Philippus Bonus Dux Burg ob. 1467.

18
Carolus Audax Dux Burg obijt 1477.

19
Maria vxor Maximiliani I. Imp. obijt 1482.

20
Philippus I. Rex Castellæ Dux Burg.

21
Carolus V. Imp.

22
Philippus II.

23
Philippus III. Rex & Dux Burgund.

Origo

1
HVgo Abbas & Dux Andegauensis, cuius originem à Clodouæo Francorum Rege Stemma sextum exhibet.

2
Conradus Comes minoris Burgundiæ. Vxor Ermentruda filia Luitfridi Comitis Vindonissæ.

3
Rudolphus I. Rex Burgundiæ 888. obijt 912. — Adelhaidis, vxor Ricardi I. Comitis Augustodunensis.
- Rudolphus Rex Franciæ 926. ob. 937
- Hugo Dux Burgundiæ
- Boso Comes

4
Beatus Rudolphus II. Rex Burg. obijt 937. Vxor Berchta filia Burcardi II. Ducis Aleman.

5
Conradus Rex Burgundiæ obijt 994. — Adelhaidis vidua Lotharij Regis Italiæ, vxor Ottonis I. Imp.

6
Rudolfus III. Rex Burg. ob. 1032. — Gerburga, vxor Hermanni II. Ducis Aleman. — Gisela, vxor Henrici Rixosi.

7
Gisela, vxor Conradi II. Imperatoris obijt 1043.

8
Henricus III. Niger Imp. à quo sunt XIX. gradus ad Philippum III. Vide Stemma VII.

XI. Origo Philippi III. à Saxonicis Angliæ Regibus.

1
EGbertus Rex Angliæ primus 802.

2
Edelfus Rex 838.

3
Ethebaldus Rex 858. — Alardus Rex 872. — Ethelbertus Rex 859. — Ethelredus Rex 863.

4
Edouardus senior Rex 900.

5
Edmundus Rex 940.

6
Edgitha, vxor Ottonis I. Imp. à quo Philippus III. distat 24. gradibus. Vide Stemma VII.

Origo eiusdem triplex à Normannicis Angliæ Regibus.

1
Gvilelmus Dux Normanniæ & Rex Angliæ 1067.

2
Guilelmus Rufus Rex 1088.

Henricus I. Rex 1101. obijt 1135.

3
Mathilda vidua Henrici V. Imp. cuius vir Gaufredus Comes Andegauensis.

4
Henricus II. Rex 1155. Vxor Eleonora filia & heres Guilelmi Ducis Aquitaniæ & Comit. Pictonum.

Adelfora vxor Stephani Comitis Blesensis.

1
Stephanus Rex 1136. obijt 1155.

5
Ricardus I. Rex 1190. Vxor Adela filia Ludouici VII. Regis Galliæ.

6
Eleonora vxor Alfonsi VIII Regis Castellæ. alij faciunt filiam Henrici II.

7
Berengaria vxor Alfonsi IX. Regis Legion.

8
Ferdinandus Sanctus Rex Castellæ.

9
Alfonsus X. Rex Cast. Ab hoc ad Philippum III. sunt XII. gradus. Vide Stemma II.

Ioannes Rex anno 1200

6
Henricus III. Rex 1216.

7
Edouardus I. Rex 1273.

8
Edouardus II. Rex 1308.

9
Edouardus III. Rex 1327.

10
Ioannes Dux Lancastriæ. Vxor Constantia filia Petri Regis Castellæ.

11
Catharina, vxor Henrici III. Regis Castellæ à quo ad Philippum III Sunt sex gradus. Vide Stemma II.

Philippa, vxor Ioannis I. Regis Portugalliæ, à quo ad Philippum III. sunt sex gradus. Vide Stemma V.

Ricardus Comes Cornubiæ electus Rom. Imp.

Origo

Origo Philippi III. à Regibus Vngariæ & Poloniæ,

1
Bela Rex Vngariæ ob. 1065.
2
Geisa Magnus 1080.
3
Almus.
4
Bela II. Rex. 1141.
5
Geisa II. Rex. 1161.
6
Bela III. Rex. 1196.
7
Andreas II Rex. 1235.
8
Bela IV. Rex. 1275.
9
Stephanus V. Rex. 1278.
10
Maria heres regni vxor Caroli II. Regis Siciliæ, cuius originem habes Stemmate VIII.
11
Carolus Martellus Rex Vng.
12
Carobertus Rex Vng. 1342. Vxor Elisabetha

1
Miesco Dux Poloniæ baptizatus 965.
2
Boleslaus Rex primus Poloniæ
3
Miesco II. Rex Polon 1025.
4
Casimirus I. Rex Pol. 1041.
5
Vladislaus Rex Polon. 1082.
6
Boleslaus III. Rex Pol. 1103.
7
Casimirus II Rex Pol. 1184.
8
Cunradus Dux Massouiæ.
9
Casimirus Dux Siradiæ. obijt 1268.
10
Vladislaus Cubitalis Rex Poloniæ 1306.
11
Casimirus III. Magnus Rex Poloniæ 1333.
12
Elisabetha vxor Caroberti Regis Vngariæ.

13
Ludouicus Rex Vngariæ & Poloniæ obijt 1382.
14
Heduigis regina vxor Iagellonis Ladislai Regis Poloniæ 1385. obijt 1399.
15
Casimirus Rex Poloniæ 1447. obijt 1490.
16
Vladislaus Rex Vng. & Bohem.
17
Anna vxor Ferdinandi Imp.
18
Maximilianus II. Imp. Rex Vng.
19
Anna, vxor Philippi II.
20
Philippus III.

Origo eiusdem à Regibus Bohemiæ.

1
Bretislaus Princeps XXII. Bohemiæ.
2
Vratislaus I. Rex 1086.
3
Vladislaus Princeps.
4
Vladislaus II. Rex 1158.
5
Premislaus Ottocarus Rex 1199.
6
Vuenceslaus Ottocarus Rex
Vxor Cunegundis filia Philippi Imp.
7
Ottocarus rex.
8
Vuenceslaus senior rex. — Henricus Lucemburg. VII. Imp.
9
Elisabetha vxor Ioannis Regis ——— Ioannes Rex Bohemiæ.
10
Carolus IV. Imp.
11
Sigismundus Imp.
12
Elisabetha vxor Alberti II. Imp.
13
Elisabetha Austria Regina, vxor Casimiri regis Poloniæ.
14
Vladislaus rex Vng. & Bohem.
15
Anna vxor Ferdinandi Imp.
16
Maximilianus II. Imp. Rex Bohem.
17
Anna vxor Philippi II.
18
PHILIPPVS III.

LECTORI

LECTORI SCIOPPIVS S.



VONIAM minime ignota est plerorumq; vanitas, qui Stemmata adornare & Genealogias digerere solent, dum fere quicquid vel ipsi commenti sunt, vel ab obscuris nulliusq; nec nominis nec fidei auctoribus acceperunt, modò gratiam à Principibus ineant, ceterum quæ grauium & intelligentium virorum de ipsis futura sit existimatio, parum pensi habentes, chartis illinere non dubitant: propterea faciundum mihi videtur, vt eorum, quæ aliter, quam vulgo persuasum est, in recensenda maiorum Catholici Regis serie collocauimus, auctoritates edamus, aut digitum saltem illuc intendamus, vnde explorata hauriri veritas possit.

Primum Stemma luculentissimis Historicorum veterumq; monumentorum documentis comprobatum inuenies in Francisci Guilimanni *doctissimi & accuratissimi antiquitatum inuestigatoris libro, quem* Habsburgiaca siue de vera & antiqua origine domus Austriæ *inscriptum Mediolani anno* 1605. *edidit, quem cum legeris Lazium, Eizingerum, Arnoldum Vionum aliosque id genus nugones cum somnijs & commentis suis statim, scio, facessere procul iubebis.*

In secundo Stemmate nihil est, quod non consentaneum sit ijs, quæ rerum Hispanicarum Scriptores quatuor voluminibus comprehensi & à Vuechelianis editi scriptum reliquerunt, nisi quod Alfonsi Catholici filios, nepotes ac fratris posteros ita digessi, quemadmodum auctor est Sebastianus Salmaticensis Episcopus, qui ætati eorum suppar fuit, adeoq; multo

multo plus, quàm posteriores, fidei meretur.

In tertio Aragonum Reges & Comites ita disposui, quemadmodum grauissimus & politissimus scriptor Hieronymus Blanca Cæsaraugustanus auctoritate tabularum vetustissimarum faciendum demonstrauit.

In quarto Vasæi & Marianæ aliorumq; Historicorum industria mihi satisfieri passus sum, nisi quod illius Hispanorum Alcidæ, Roderici Viuarij Cidi, filiam Ramiro Nauarræ Regi nuptam Christianam *vocaui, quam ceteri* Eluiram, *& sororem eius* Solem, *Sanctio Aragonio nuptam dicunt, quod contra Franciscus Didacus Dominicanæ familiæ Theologus, qui regni Valentini Annales condidit, & anno* 1613. *edidit, luculente probat, Cidi filiabus alteri Christianæ, alteri Mariæ nomen, & illam quidem Ramiro Nauarro, hanc autem Roderico Berengario tertio Barcinonensium Comiti matrimonio iunctam fuisse.*

Quinti Stemmatis veritatem Duardus Nonius Lusitanus, vir doctissimus, nemini non facilem probauerit.

In sexto Caroli Magni maiores Sigeberti auctoritatem secutus recensui. Capetinos & Burgundos à S. Arnolpho tamquam Carlingorum consanguineos deduxi ijs argumentis & auctoritatibus permotus, quæ partim Guillimannus affert, partim Alfonsus Delbenius Episcopus Albiensis, qui de origine Hugonis Capeti, de regno Burgundiæ Transiuranæ & Arelatis, de Principatu Sabaudiæ, deq; gente ac familia Marchionum Gothiæ & S. Aegidij libellis Lugduni non ita pridem editis accuratissime disputauit.

In septimo Conradi Salici maiores eos posui, quos Guillimannus eo, quo dixi, libro nominat, qui etiam proprio, ac separato libello Genealogiam eius Imperatoris expediuit.

In

In septimo & octauo Philippi Sueui Imperatoris filiam Beatricem Ferdinandi Sancti Castellæ Regis vxorem facio. Id verum esse Princeps Historiographus Hieronymus Surita in Aragonicis Annalibus, tum Ioannes Mariana, postremo Consaluus Illescas in historia Pontificia præstiterit. Germanos nonnullos, qui aliter scripsere, hoc in errorem induxit, quod plures Philippo filias fuisse nescierunt, de quibus in Chronico Australi Matthæi Bappenheimij anno 1217. disertim legimus: Philippus quondam Romanorum Rex habuit quatuor filias, quarum vnam duxit Rex Castiliæ & Hispaniæ, alteram Rex Bohemiæ, tertiam Otto Romanorum Rex, quartam Dux Brabantiæ.

In nono peruulgata sunt omnia, præter quod Hugonis Capeti sororem Friderico Lotharingo nuptam, ex eaq; Itam Habspurgensium genitricem natam dixi. Ea de re Guillimannus mihi fidem fecit, quemadmodum etiam de decimo Stemmate, quod magnam partem ab Alfonso Delbenio confirmatur.

De Angliæ, Vngariæ, Poloniæ & Bohemiæ Regibus nihil posuisse videor, quin id ab earum nationum Historicis magno consensu tradatur. Sicubi tamen alucinatum me comperero (id quod festinanti vsu venisse mirum non est) non committam, vt mea culpa in errore maneas diutius. Vale.

Ego Don Augustinus Valerius C R Theologus Congregationis Somaschæ, & Consultor S. Officij Papiæ de mandato Admodum Reuer. Patris Vicarij eiusd. S. Officij diligenter hoc perlegi Stemma, & typis dignum iudico, & approbo.

Imprimatur
Fr. Iacobus Prior, & Vic. Inquis. Papiæ.

GASP. SCIOPPII
CONSILIARII REGII
CLASSICVM
BELLI SACRI
SIVE
HELDVS REDIVIVVS
HOC EST:
Ad Carolum V. Imperatorem Augustum
SVASORIA

De Christiani Cæsaris erga Principes Ecclesiæ rebelles officio, deq; veris compescendorum Hæreticorum, Ecclesiæq; in pace collocandæ rationibus.



TICINI
Typis Petri Bartholi, Anno M. DC XIX.

LECTORI S.



EQVAQVAM me præterit, libri huius mei indice siue titulo suspicionem nonnullis motum iri, esse me insedatioris ingenij, neque pacem ferre posse, ac Germanos inter se ancipiti bello ac periculoso velle collidere. Verùm qui ex scriptis actionibusq; meis me cognouerunt, vel quis hodie Sacri Romani Imperij Status sit, non penitus ignorant, ab ea me suspicione facilè, opinor, dimittent.

Primùm enim in Ecclesiastico *meo aduersus Angliæ Regem edito, disertim testatus sum, nequaquam me Catholicis armorum aduersus Protestantes Imperij Ordines sumendorū auctorem esse, quoad quidem ipsi quiescant, neq; eis aduersus pacta conuenta quicquam machinari libeat. Etiam superioribus annis Romæ Summo Pontifici ac primarijs Cardinalibus, tum abhinc quinquenniū Regi Catholico, & status Consiliarijs præcipuè verò Illustrissimis viris illis, quos extra ordinē in consiliū ire mecūq; agere Rex iusserat, bellum aduersus Hæreticos Germaniæ hoc tempore superuacuum, imò noxiū esse, aliasq; Imperij in pristino statu collocandi rationes suscipi cum posse, tum debere, multis demonstraui: in quam ipsam sententiam apud complures Germaniæ Principes ac proceres non semel disserui. Itaq; merito mihi polliceri posse videor, haud temere ex Catholicis futurū, qui libri huius inscriptione deceptus me bellum expetere atq; hoc velut cantu Martem accèdere velle suspicetur.*

Deinde verò tanta est Caluinistarū importunitas, & turbarū in Imperio commouendarū libido, vt qui Classicum *canat, non tam belli, quàm pacis auctor videri debeat. Nec enim obscurum est, pacem Germaniæ à Decreto illo pendere, quod de*

Religionis pace annō 1555. Augustæ Vindelicorūm communi omnium Imperij ōrdinūm consensu conditum, ac deinceps in omnibus Imperij conuentibus renouatum fuit. Hoc autem decretum Caluinistæ irritum facere, & antiquare omni vi moliuntur, velut Regibus ac Principibus Christianis binis libellis, quorum alter Turbatus Imperij Status, *alter* Informatio de famoso Cōpositionis negotio *inscribitur, perspicuè est demonstratū. Et quoniam illi apertissime ferunt, se decretum illud Pacis ratum habere eiq; parere sine præsentissimo familiarū suarum interitu nequaquā posse (nāsi aut rapta Ecclesiarum bona restituere, aut in posterum à sacerdotijs, et beneficijs Ecclesiasticis submoueri arceriq; debeant, velut decreto illo de religionis pace sancitur, rem sibi mox ad baculum, & tegetem sine mendicitatem, si minus ad restim redituram, satis prospiciunt) propterea pro explorato haberi debet, eos tantū abesse, vt pacis consilia agitent, vt etiam quotidie ad commouendum ciuile bellum magis ac magis stimulentur. Causa quippe, qua se impelli confitentur, vt decreti illius abrogationem tantopere cōcupiscant, rei scilicet familiaris augescente liberorum numero angustia, in dies incrementa sumit, eosq; ad tentandas res nouas inflammat. Quapropter ad Pacem omnia, quæ hoc libro cōplexus sum, spectare censenda sunt, cùm animandis armandisq; Catholicis Imperij Principibus, & Ordinibus perficere coner, vt ne Caluinistis diutius turbare, abroganda Cæsari, & supremo Imperij Tribunali Spirensi potestate omnem iuris administrationē sufflaminare ac sistere, negandis aduersus Turcos auxilijs Comitiorum decreto promissis patriam tantum non prodere, Episcopatus, & Monasteria sacrilegè inuadere ac ditioni suæ subijcere, Pacem tam profanam, quàm Religiosam nefariè violare, formam deniq; Imperij mutare, & quemadmo-*

admodum se facturos palam minantur, diffingere libeat.

Etsi autem præcipuè patriæ meæ consulere edendo hoc libro cōstitui, quod eum maximis quibusdam Principibus, quibus legendum dederam, mirificè probatū fuiße scirem: nihil tamen mentiar, si eâdē opera bene me de exteris quoq; regnis ac prouincijs mereri voluiße dicam. Nec enim soli Catholicorū Germani cū eiusmodi inquietis, & turbulentis monstris conflictamur. Quas in Belgio, Gallia, Vngaria, & Polonia turbas dederint Hæretici, præcipueq; Caluini aßeclæ, vix quisquā est tam rerum imperitus, quin cognitum habeat. Igitur Catholici, quibus in eas prouincias ius est, quosq; portentorum istorum seu Tyrannis, seu rebelliones alicubi exercent ac solicitos habent, discere hinc poterunt, sibi quid expediat, vt suā ac suorū salutem tueri, ferociam, et importunitatem Caluinistarum comprimere, iniquißimum eorum iugum, & dominationem impotentißimam à ceruicibus suis depellere, & cum armorum eis capiendorum neceßitas venerit, Victoriam sibi certißimè despondere ac dehinc animis otiosi eße stabiliq; pace frui poßint.

Hispani quidem rerum domini ac plusquam dimidij orbis domitores maximo cum bono ac rerum suarum in posterum incremēto ad se maioresq; suos pertinere intelligent, quod Psalmo XLIII. *scriptum est:* Non in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera domini, & brachium eius, & illuminatio vultus eius, quoniam complacuit in eis.

Rex Galliæ Christianißimus ad regnum suum pacatè obtinendum nihil sibi posthac Turcis fæderatis opus eße discet, Geneuæ quoq; & aliorum Hæreticorum patrocinium prioribus regibus exitio ac verè fundi Gallicani calamitatem fuiße agnoscet, uel his Propheta verbis monetur, quibus Amasias rex Iudæ

 obiurga-

obiurgatus fuit, cùm Edomitas rebelles suos armis ad officiū redacturus, centum millia militū ex Israëlitis mercede condu xisset: O rex (*ait Propheta* 2. *Paral.* 25.) ne egrediatur tecum exercitus Israël. non est enim Dominus cū Israël, & cunctis filijs Ephraim. quod si autem putas in robore exercitus bella consistere, superari te Deus faciet ab hostibus. Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere: *tum etiam Iosaphat, pij alioquin regis exemplo doctus, ad quem hæc alterius Prophetæ vox est:* Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & iccirco iram domini mereris, 2. *Paral.* 19.

Similiter quos Caluinistæ alicubi nullo iure ditioni suæ subiectos habent, at veluti mancipia indignissimè conterunt, vt in libertatem se vindicare queant, solo Deo freti arma expedient, neqꝫ aliorū Catholicorum auxilia multum morari volent, vbi Machabæorum casu didicerint, quàm eis parū prosperè cesserit, imo quā prorsus exitio fuerit, ad tuendā religionē ac libertatem à Romanorum potentia præsidium exspectare.

Omnes deniqꝫ qui pro pietate ac vera Religione aduersus infideles aut sectarios bellum gerunt, ARTEM VINCENDI *hic addiscent, seqꝫ omnino inuictos fore scient, si sola diuina potentia confisi belli aleam experiri, neqꝫ gloriam in solidum Deo debitam cum quacumqꝫ re creata communicare uelint.*

Habes, Lector, consilium, quod in canendo Belli Sacri Classico secutus fui. Faxit Deus, vt aliquando sapiant, quibus ipse populorum curam commisit, & nationem istam Consiliariorum, qui mollibus sententijs Hæreticorum nata turbis, & seditionibus ingenia alere solent, in maximam malam crucem facesere iubeant. VALE. *Mediolano Mense Ianuario Anni* MDCXIX.

SERE-

SERENISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, ET REVERENDISSIMIS
Sacri Romani Imperij Principibus atq; Ordinibus Catholicæ fidei cultoribus.

GASPAR SCIOPPIVS S. D.



EMO est omnium, cui Germaniæ nostræ status vel mediocriter sit perspectus, quin vobis acrem, ac difficilem dimicationem proximis Comitijs subeundam intelligat. Apparet enim extrema omnia facturos Caluinistas, vt illa tantopere celebrata *Religionis pax*, quam maioribus vestris magno cum rei Catholicæ detrimento Protestantes extorserunt, nunc aut penitus antiquetur, aut multis certè capitibus immutetur ac velut diffingatur. Pugnabunt videlicet, vt omnes omnino Hæretici Autonomiam, credendiq; quicquid libeat, libertatem obtineant: ipsi pari iure cum Catholicis, ad ea quæ adhuc reliqua sunt, Ecclesiarum, & Monasteriorum collegia admittantur: Ecclesiasticis Religionem mutare, & continentiæ fidem Deo datam irritam facere, suisq; sacrilegis, incestuosis, & caninis, vereq; *innuptis nuptijs* sacrum matrimonij nomen prætexere, simul tamen Ecclesiasticis beneficijs frui ius fasq; sit: ijs, qui Ecclesiasticorum ditione tenentur, non minùs, quàm qui solius Imperatoris, & Imperij potestati sunt subiecti, auitæ fidei, & Ecclesię Catholicæ nuncium remittere, & Hæresin palàm profiteri, & exercere liceat: nemo deniq; nec Imperatori, nec Imperiali Curiæ violatæ pacis publicæ, & Ecclesiasticorum bonorum per vim raptorum rationem si nolit, reddere necesse habeat. Non estis autem vsq; eo rerum omnium imperiti, quin vnoquouis istorum capitũ permisso, vt etiam reliqua non concedatis paucis annis, an mensibus Religionem Catholicam ex omni Germania relegatum, & exterminatum iri intelligatis. Itaq; nisi fidem Deo, & Ecclesię datam nefariè prodere, & fędissimam istorum Apostasiam imitari velitis (à qua quidem re longissimè vos abesse oportet.) ita vos comparetis necesse est, vt quibus verè pro aris ac focis, proq; vestrâ ac posterorum æterna salute, cum monstris vigilantissimis,

mis,& proprio ipsorum propheta Caluino teste, *perfidia, fraude, & dolo* coopertis, mox lege ac legionibus sit dimicandum. Etsi autem dubium non habeo, quin vobis consilium de re tanta capientibus omnia in mentem veniant, quæ cuiuscumq; studio, & attentione inuestigari possunt, non tamen propterea operam lusurus videor, si & ipse vocem mittam, quę alios minus fortasse cautos admoneat, alijs autem periculorum, quę ostentantur, magnitudine perculsis animos addat, efficiat quidem certè, vt ne ad eundem, quem aui ac parentes vestri, lapidem offendatis. Quod quidem cuiusmodi sit, non meis malui, quàm *Matthia Heldi*, Imperialis quondam Procancellarij, verbis explicare. Eum propterea excitare, & *rediuiuum* vobis repræsentare constitui, vt cum omnia, quæ nobis, ac reipub. nostræ nunc incumbunt mala, prudentissimi viri acumine tanto ante prospecta ac prędicta fuisse, Deumq; pænas consilj ex magno gloriæ diuinæ, & Catholicæ fidei zelo profecti, præ sæculari Granuelæ, aliorumq; pseudopoliticorum prudentia repudiati, ne nunc quidem expetere desijsse apparuerit, vos quid cæterum aduersus Caluinistas, nouam Passauiènsem Transactionem cuiusquemodi artibus ac technis extorquere vobis molientes agendum, quiq; vobis scopuli præcipuè posthac cauendi sint, rectius constituere possitis, non quò vobis integrum existimem à Fide Lutheranis data recedere, & Augustanam Confessionem, cui per Decretum de Pace religionis non minus, quàm Catholicæ religioni, in Imperio libertas sæpius promissa est, nunc velle proscribere (pactis enim conuentis stare Catholicorum hominum, maximè Germanorū est officium) sed quod nequaquam vobis committendum censeam, vt Caluinistarum minis permoti veterem Religionis pacem abrogetis, eorumq; perfidiæ (qua tamen non tam ipsos, homines scilicet Illustrissimis familijs editos, quos à maiorum candore & integritate vsq; eo degenerasse non est consentaneum, quàm Ministros eorum, & Consiliarios laborare crediderim) causam Ecclesiæ Catholicæ per nouam Compositionem prodatis. quod enim Carolo Imp. suasit Heldus, eo nunc aduersus Augustanæ Confessionis socios, pactis stare paratos nequaquam vobis vti licet. Sed aduersus Caluini sectatores res omnis est integra, si presertim verba illi ad rem conferant, quodq; iam diu minime obscurè minantur, arma vobis deprecantibus priores capiant. Agite igitur Heldi sententiam meis argumentis pertractatam legite, & intelligite, & quod vnum est reliquum, Facite. *Bonus enim est intellectus omnibus facientibus eum* Psal. 110. Mediolano Kal. Febr. Anni M D C X I I I.

HELDVS

HELDVS REDIVIVVS
SIVE
Ad Carolum V. Imperatorem Auguſtum
SVASORIA

De Chriſtiani Cæſaris erga Principes Eccleſiæ, rebelles officio &c.



PVBES, Sacratiſſime & Inuictiſſime Imperator, vt quid mihi aduerſus Proteſtantium Principes atq; Ordines, toties iam de vi ac ſacrilegio poſtulatos, videaris ſuſcipere debere, pro ea, quam tibi voui ac iurari fide liberè aperiam. Parebo Maieſtatis tuæ voluntati, & quamuis fratri tuo Ferdinando Romanorum Regi, Antonij Perenotti Granuelæ conſiliùm impensè probari ſciam, te diſſimulatis offenſis fœdere cum Proteſtantibus inito, Germaniæ vniuerſæ vires, ad Turcam omni Vngaria exuendum conferre debere exiſtimantis, quæ quidem res non immeritò vereri me facit, ne me idem Granuela more ſuo apud Ferdinandum criminetur, quod mea in conſulendo vehementia vtilitatibus eius obſtem, ac partim ne auxilia ei à Proteſtantibus in Vngariam ſubmittantur, partim ne Proteſtantes in filium poſterosq; Imperium propagare ambienti ſuffragentur, impediam: non tamen committam, vt tanta in re, vbi Dei gloria, & totius pæne generis humani ſalus agitur, fidele à me conſilium tibi deſit. Ipſam porro Sententiam meam tribus omnino capitibus complectar, quorum primum erit, quid ex officio in Religionis cauſa aduerſus tuos, & Eccleſiæ rebelles facere debeas: alterum, quibus adiumentis, ſiue medijs, tibi nitendum quaq; fiducia res tam ardua ac difficilis aggredienda ſit: poſtremum, quid te maneat quasq; pænas Deus à te poſteriſq; tuis, expetiturus ſit, ſi quòd abominor, homines nequaquam ſpiritus, ſed carnis modò, & ſæculi prudentia præditos ſecutus, fidele meum conſiliùm repudiaueris. Quod conſilij ſpiritus bene vertat, incipiò.

Granuelæ conſilia Ferdinandi priuata vtilitati velificabantur. Heldus Granuelæ ob integritatem, & religionis Zelum inuiſus.

Suaſoria huius partitio.

CAP. I.

CHRISTI corpus Eccleſiam eſſe probè, Imperator, nouiſti. Eius Brachium, ſiuè manum dexteram, ipſe te Chriſtus conſtituit.

Imperator eſt manus, ſiue brachium Eccleſiæ.

mis,& proprio ipsorum propheta Caluino teste, *perfidia, fraude, &* *dolo* coopertis, mox lege ac legionibus sit dimicandum. Etsi autem dubium non habeo, quin vobis consilium de re tanta capientibus omnia in mentem veniant, quæ cuiuscumq; studio, & attentione inuestigari possunt, non tamen propterea operam lusurus videor, si & ipse vocem mittam, quę alios minus fortasse cautos admoneat, alijs autem periculorum, quę ostentantur, magnitudine perculsis animos addat, efficiat quidem certè, vt ne ad eundem, quem aui ac parentes vestri, lapidem offendatis. Quod quidem cuiusmodi sit, non meis malui, quàm *Matthiæ Heldi*, Imperialis quondam Procancellarij, verbis explicare. Eum propterea excitare, & *rediuiuum* vobis repræsentare constitui, vt cum omnia, quæ nobis, ac reipub. nostræ nunc incumbunt mala, prudentissimi viri acumine tanto ante prospecta ac prędicta fuisse, Deumq; pœnas consilj ex magno gloriæ diuinæ, & Catholicæ fidei zelo profecti, præ sæculari Granuelæ, aliorumq; pseudopoliticorum prudentia repudiati, ne nunc quidem expetere desijsse apparuerit, vos quid cæterum aduersus Caluinistas, nouam Passauiènsem Transactionem cuiusquemodi artibus ac technis extorquere vobis molientes agendum, quiq; vobis scopuli præcipuè posthac cauendi sint, rectius constituere possitis, non quò vobis integrum existimem à Fide Lutheranis data recedere, & Augustanam Confessionem, cui per Decretum de Pace religionis non minus, quàm Catholicæ religioni, in Imperio libertas sæpius promissa est, nunc velle proscribere (pactis enim conuentis stare Catholicorum hominum, maximè Germanorũ est officium) sed quod nequaquam vobis committendum censeam, vt Caluinistarum minis permoti veterem Religionis pacem abrogetis, eorumq; perfidiæ (qua tamen non tam ipsos, homines scilicet illustrissimis familijs editos, quos à maiorum candore & integritate vsq; eo degenerasse non est consentaneum, quàm Ministros eorum, & Consiliarios laborare crediderim) causam Ecclesiæ Catholicæ per nouam Compositionem prodatis. quod enim Carolo Imp. suasit Heldus, eo nunc aduersus Augustanæ Confessionis socios, pactis stare paratos nequaquam vobis vti licet. Sed aduersus Caluini sectatores res omnis est integra, si presertim verba illi ad rem conferant, quodq; iam diu minimè obscurè minantur, arma vobis deprecantibus priores capiant. Agite igitur Heldi sententiam meis argumentis pertractatam legite, & intelligite, & quod vnum est reliquum, Facite. *Bonus enim est intellectus omnibus facientibus eum* Psal. 110. Mediolano Kal. Febr. Anni M D C X I I I.

HELDVS

HELDVS REDIVIVVS
SIVE
Ad Carolum V. Imperatorem Auguſtum
SVASORIA

De Chriſtiani Cæſaris erga Principes Eccleſiæ, rebelles officio &c.



IVBES, Sacratiſſime & Inuictiſſime Imperator, vt quid mihi aduerſus Proteſtantium Principes atq; Ordines, toties iam de vi ac ſacrilegio poſtulatos, videaris ſuſcipere debere, pro ea, quam tibi voui ac iurari fide liberè aperiam. Parebo Maieſtatis tuæ voluntati, & quamuis fratri tuo Ferdinando Romanorum Regi, Antonij Perenotti Granuelæ conſilium impensè probari ſciam, te diſſimulatis offenſis fœdere cum Proteſtantibus inito, Germaniæ vniuerſæ vires, ad Turcam omni Vngaria exuendum conferre debere exiſtimantis, quæ quidem res non immeritò vereri me facit, ne me idem Granuela more ſuo apud Ferdinandum criminetur, quod mea in conſulendo vehementia vtilitatibus eius obſtem, ac partim ne auxilia ei à Proteſtantibus in Vngariam ſubmittantur, partim ne Proteſtantes in filium poſterosq; Imperium propagare ambienti ſuffragentur, impediam: non tamen committam, vt tanta in re, vbi Dei gloria, & totius pæne generis humani ſalus agitur, fidele à me conſilium tibi deſit. Ipſam porro Sententiam meam tribus omnino capitibus complectar, quorum primum erit, quid ex officio in Religionis cauſa aduerſus tuos, & Eccleſiæ rebelles facere debeas: alterum, quibus adiumentis, ſiue medijs, tibi nitendum quaq; fiducia res tam ardua ac difficilis aggredienda ſit: poſtremum, quid te maneat quasq; pænas Deus à te poſteriſq; tuis, expetiturus ſit, ſi quòd abominor, homines nequaquam ſpiritus, ſed carnis modò, & ſæculi prudentia præditos ſecutus, fidele meum conſilium repudiaueris. Quod conſilij ſpiritus bene vertat, incipiò.

Granuelæ conſilia Ferdinandi priuatæ vtilitati velificabantur.
Heldus Granuelæ ob integritatem, & religionis Zelum inuiſus.

Suaſoria huius partitio.

CAP. I.

CHRISTI corpus Eccleſiam eſſe probè, Imperator, nouiſti; Eius Brachium, ſiuè manum dexteram, ipſe te Chriſtus conſtituit.

Imperator eſt manus, ſiue brachium Eccleſiæ.

stituit. Partes ergo tuæ sunt iudicare populos, quemadmodum Isai. 51. scriptum est: *Brachia mea populos iudicabunt.* Et Psal. 2. *Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.* Iudicium verò in tuendis bonis, & coercendis malis consistit. Rom. 13. *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis ergo non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem*, siue præmium *ex illa. Dei enim Minister est tibi in bonum. Si autem malè feceris, time. non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sed nihil attinebit, te multis verbis officij tui commoneri, si quam ad rem corporis tui, Brachium tibi vsui sit, attenderis. Vestibus nimirum totum corpus tuum induit, escam ori, quod capitis membrum est, indit, ac si quis corpus cibo prohibere, aut quodcunq; membrum indumento suo spoliare conetur, strenuè propugnat. Eadem ergo tibi omnia pro Ecclesia facienda esse existima. Vestes eius exteriores sunt *aurum, & argentum, fimbriæ aureæ, à filiabus Tyri & diuitibus plebis*, siue à rebuspublicis & regibus muneri datæ. (Psal. 44.) siue *aurum & argentum filiorum Ecclesiæ, item æs & ferrum nomini Dei oblatum.* (Isai. 60.) Quibus vestibus Deus Ecclesiam foris glorificat Isai. 60. *Domum maiestatis meæ glorificabo.* Aggæi 2. *Meum est aurum, meum est argentum*, dicit dominus, *& implebo domum meam gloriæ.* Isai. 28. *Negotiationes & merces Tyri erunt sanctificata*, siue oblatæ & consecratæ, *domino, non condentur neq; reponentur: quia his, qui habitauerint* (Chald. qui ministrant.) *coram domino, erit negotiatio eius, vt manducent in saturitatem & vestiantur vsq; ad vetustatem*, Id est, sacerdotes vescentur, & vestientur ijs, quæ Deo consecrata fuerint, ad compensationem & redemptionem peccatorum, quemadmodum Oseæ 4. de Sacerdotibus dicitur. *Peccata populi mei comedent.* Id est, Victimas pro peccatis luendis Deo oblatas. Ezech. 44. *Victimam pro peccato ipsi comedent, & omne votum in Israel ipsorum erit, & omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, Sacerdotum erunt, & primitiua ciborum vestrorum dabitis Sacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuæ.* Ier. 35. *Confluent ad bona Domini super frumento, & vino, & oleo, & fætu pecorum, & armentorum. Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis MEIS adimplebitur.* Ergo quæ Ecclesijs offeruntur pro peccato, sunt *Bona Dei*, ex quibus si Sacerdotes meliorem partem, siue duplicia, percipiant, ijsq; ad victum & amictum vtantur, non est, cur eo nomine quisquam ipsis inuideat. Deus enim de suo, non de alieno, hanc eis partem donat. Isai. 61. *Vos Sacerdotes ministri Dei nostri, fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis.* siue vt Aquilam transtulisse S. Hieronymus testatur: *Et in gloria earum purpura vestiemini.* siue

Manus: siue brachij in corpore humano vsus.

Vestitus exterior Ecclesiæ.

Cibus Ecclesiæ peccata populi

siue quemadmodũ 70. reddidere: *Et in diuitijs earum eritis admirabiles*, hoc est, cibus vester erit fortitudo gentium, siue *lac regum*. (Isai. 60. nam reges sunt *nutricij Ecclesiæ*, Isai 49.) vestitus autem vester erit purpura, siue opulentia populorum, propter quam omnibus admirationi eritis. *Pro confusione vestra duplici & rubore laudabitur pars vestra: in terra enim vestra DVPLICIA possidebitis*. Tuum igitur est, Cæsar, fungi Manus officio, & hunc cibum capiti Ecclesiæ, siue ordini Ecclesiastico, præbere, atq; hoc vestitu corpus amicire. Quod si quis alterutrum, hoc est, siue escam, siue amictum Ecclesiæ debitum, aut rapiat, aut possideat, vel quocunq; modo ei faciat iniuriam, tum tu Brachium, seu Manus, *non sine causa gladium ancipitem portas, sed ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum*, siue Principes, *in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis* (ad quem verò finem? vtrum hactenus tantum, vt eos paucis post annis è captiuitate liberes, ac dimittas? nequaquam Dominus enim eos tibi tradidit, non tu viribus tuis eos in potestatem tuam redegisti, sed) *vt facias in eis iudicium conscriptum*. quod est autem illud Iudicium, & vbi conscriptum extat? audi Prophetam Isai. 60. *Gens, & regnum, quod non seruierit, sed detraxerit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur, donec veniant ad te curui, & adorent vestigia pedum tuorum, vocentq; te ciuitatem Domini, Sion Sancti Israel, proq, are*, quod prius tibi abstulerunt, *afferant aurum, & pro ferro afferant argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum*, hoc est, donec ex Hæreticis fiant denuò Catholici, sèq; Pontifici subijciant, & quæ sacrilegè rapuerunt, cumulatissimè, & velut cum vberrimo fœnore restituant. Quòd si hoc modo Ecclesiæ seruire *vultuq; in terram demisso* Pontificem (velut Ecclesiæ promittitur, sed in Episcopis impletur, quemadmodum Apocal 3. docemur) *adorare, & puluerem pedum eius osculando lingere* (Isai. 49.) tuumq; & aliorum Imperatorum, Regum, Principúmq; haud paulò ipsis virtute, nobilitate, potentiaq; superiorum imitari exempla velint, *erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant*, Psal. 82. Atq; huius rei satis illustria tibi, cùm ex sacris literis, tum ex historiarum monumentis partim præcepta, partim Exempla afferri possunt. Deut. 13. *Si audieris in vna vrbium egressos esse de medio tui filios Belial*, (siue inobedientes, & iugum Episcoporum abijcientes) *& auertisse habitatores vrbis suæ, vt seruiant Dijs alienis, quos ignorarunt ipsi, & patres eorum*, (siue, vt nouam religionem sectentur, non acquiescentes ijs, quæ docent Sacerdotes, *quod est quasi Scelus Idololatriæ*. 1. Reg. 15.) *quare sollicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse, quod dicitur, STATIM percuties habitatores*

Cæsaris officiũ erga illos, qui Ecclesia cibũ, aut amictum eripere conantur.

Iudicium aduersus Ecclesiæ hostes, & Sacrilegos Principes conscriptum.

Aduersus ciuitates religionem mutantes quid suscipiendum.

tatores illius vrbis, in ore gladij, & delebis eam, omniaq; quæ in illa sunt, vsq; ad pecora (etiam infantes, & pueros, siue vt 1. Reg. 15. legimus *paruulum, & lactentem*, qui hoc modo seruantur, ne adultiores facti patrum scelere implicentur, & in æternum pereant: quæ causa est, cur etiam Deus Ezech. 21. ita comminetur: Eijciam gladium meum de vagina, & occidam in te iustum, & impium) *quicquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus, non ædificabitur amplius.* Num. 25. Cùm Principes populi Israel familiariter cum Moabitis comedissent, & adorassent Deos eorum, suoq; Exemplo populum ad eadẽ facienda perduxissent, iratus Dominus ait ad Moysen: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.* Iosue 10. *Cum adducti essent quinq; Reges*, qui pugnauerant contra populum domini *vocauit Iosue omnes viros Israel, & ait ad Principes Exercitus sui: Ite, & ponite pedes super colla regum istorum, quo facto suspendit Reges istos super stipites*, parùm omnino sollicitus, quo id animo cæteri Reges accepturi essent, quibus scilicet æquius visum iri sciebat, *custodiam captiuis poni Principe, aut rege dignam supplicio, aut pœna corporis eis remissa.* 1. Reg. 15. Dixit Samuel. *Adducite ad me Agag, regem Amalec, quem Saul bello cepit, nec interfecit, sed timens populum, & obediens voci eorum pepercit, & oblatus est ei Agag pinguissimus, & ait Samuel, sicut fecit absq; liberis mulieres gladius tuus, sic absq; liberis erit mater tua; Et in frusta concidit eum Samuel, coram domino.* Id est, loco victimæ eum domino obtulit. Iob. 29. *Conterebam*, cùm adhuc rex essem, *molas*, siue dentes *iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Iniquum intellige, quem Iob 24. descripserat, qui nempe est rebellis lumini, siue Sacerdoti inobediens, *qui transfert terminos, diripit greges* (vti lupus, seu Tyrannus) *& pascit eos, ac subuertit viam pauperum*, hoc est inuadit in Prouinciam Sacerdotis, & vult ipse populos pascere, ad suam religionem eos cogendo, & à verâ via auertendo, *qui vigilat ad prædam, agrum non suum*, sed Ecclesiarum, & monasteriorum *demetit, & vineam eius, quem vi oppressit, vindemiat*: Ab huius ergo generis Iniquo prædam auferre, Cæsar, debes, id est Ecclesiasticis hominibus erepta restituere: tum etiam molas, aut molares dentes eiusdem conterere, siue potestatem, Imperium, aut Principatum eius, quo vim facit, *& deuorat plebem domini, sicut escam panis* (Psal. 13.) abolere: nan *dentes* esse vires, & potentiam Imperij, *Daniel*.7. docemur, vbi Romanum Imperium dicitur *dentes ferreos habere magnos, quibus comedat, atq; comminuat.* Ratio, cur homines impios

Quare etiam infantes Hæreticorum Deus occidi iubeat.

Aduersus Principes religionẽ mutantes, quid Deus fieri iubeat.

Rex impius à Sacerdote in frusta cócisus.

Idq; in honorem Dei.

Iniqui Principes, Sacerdoti rebelles populum seducentes Ecclesias diripientes.

Erga illos qd Cæsari faciendum.

impios imperio exuere debeas, à Salomone sic redditur Prou. 28. *Regnantibus impijs ruina hominum* Et prou. 29. *Homines pestilentes dissipant Ciuitatē.* Sunt nempe Tyranni omniū immanissimi, qui potestate, & Imperio, non ad vindictam eorū, qui malè agunt, neq; ad laudem, & præmium, ac patrocinium bonorum (qui verus demū, ac diuinus potestatis vsus est) sed ad subditos opprimendos, & à veritatis viâ in errorem, ac mendacium, & ꝙ consequi necesse est, in perpetuum animarum, corporumq, exitiū abducendos vtuntur. At enim omnē illi suam potestatem, & Iurisdictionē tibi acceptam referunt tamquā, qui tuo nomine, ac loco populis præsint. Te nempe Pastorem totius Imperij Deus constituit, *ne populus domini esset sicut oues absq; pastore*: quemadmodum de Iosue legimus Num. 27. in quem Moyses, Rex, & Sacerdos, partem tantùm gloriæ, siue Imperij sui, nempè sæcularem, siue Regiā transtulit, alteram eamq; digniorem, & celsiorem Eleazaro Sacerdoti tribuit: *Tolle Iosue filium Nun, & da illi partem gloriæ tuæ, vt audiat eum*, siue subdita ei sit, *omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos dominum consulet*, (à quo accipiet exemplum Deutoronomij, siue Legis. Deut. 17. eiusq; verum sensum ex ore ipsius requiret. Aggæ. 2. Interroga Sacerdotes legem. Malach 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus domini est.) *ad verbum ipsius*, hoc est, ex iussu, & mandato Sacerdotis *egredietur, & ingredietur ipse Iosue, & omnes filij Israel cum eo. Ipse autem erit super multitudinem, & velut pastor exibit, & intrabit ante eos, & educet eos, vel introducet.* Cum igitur *Optimates gregis* (Ier. 25.) *quibus pascua distribuisti, vt pascat vnus quisq; eos, qui sub manu sua sunt* (Iere 6.) siue, vt beneficio tuo Principatu super populos sibi commissos potiantur (nam sic etiam Principes regni Assyriorum, pastores regis dicuntur. Naum. 3. *Dormitauerunt pastores tui Rex Assur. sepulti sunt Principes tui.*) Cum igitur Principes German i seducere incipiant greges suos, faciantq; *vagari in montibus, vt de monte* magno Romanæ Ecclesiæ *in collem* humiliorem Lutheri, aut Zuinglij *transeant, & obliuiscantur cubilis sui* (Ier. 50.) *disperdantq;, & dilacerent, dispergant, & eijciant gregem pascuæ domini* (Ierem. 23) *fiantq; oues Domini in deuorationem omnium bestiarum agri, errentq; greges in cunctis montibus, & super omnem faciem terræ dispersi* (Ezech. 34.) Quare tu, Cæsar, Christe Domini, Cyre mystice, cui dixit Deus: *pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.* (Isaiæ 44.) quare, inquam non requiris gregem de manu pastorum istorum, & *cessare facis eos, vt vltra non pascant gregem, neq; pascant semetipsos?* (Ezech. 34. Fac perpetuò aures tuæ personent his Ier. 13. verbis: *Captus est grex domini.*

Tyranni omnium pessimi, qui sint.

Principes Imperij sunt Vicarij Imperatoris in suis Prouincijs.

Populus Regi, Rex Sacerdoti subiectus.

Principum facta Imperator præstare debet

Principes ex Catholicis Lutherani quales sint Pastores.

Summus Pastor quid eiusmodi pastoribus facere debeat.

Dic

Dic Regi, vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cum visitauerit te, ac villicationis tuæ rationes à te reposcet *Dominus? tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti in caput tuum*. Facilitas nempe tua, & in vindicandis rebellibus, ac sacrilegis lenitas, vel dicam dissolutio, spem impunitatis eis ostendit, & multa malè eos docet, vt teipsum, caputq; tuum nefario bello petere tandem audeant. Nisi ergo in ordinem eos redigas, & Principatum, atq; Imperium eis abroges, perindè certè feceris, ac si oues luporum fidei, & procurationi committas. Quamuis enim suam illi religionem, siue nouam illam à Luthero confictam scripturæ interpretationem ex animi sententia veram esse iudicent, adeoq; rectè, & officio congruenter facere se putent, cùm subditos eadem religione imbuunt, aut etiam vi ad eandem amplectendam cogunt: quia tamen Deus *te, & omnem Israel tecum ad verbum Sacerdotis egredi, & ingredi*, nec aliter, quam Sacerdos censeat, gregem à te pasci iubet, non est æquum, maiorem te voluntatis, & erroris ipsorum, quàm salutis ouium rationem ducere. Si optimates gregis, siue summi Pastoris Vicarij, suos greges in pratum crebris herbis pestiferis, ac virulentis oppletum ducere pastum velint, propterea quod eas herbas pecori non modò non noxias, sed etiam salubres esse persuasum habeant, quomodo summus Pastor, cui Dominus ouium gregis vniuersi curam commisit, sine scelere, ac perfidia istiusmodi Vicarios toleret, ac non protinus à Præfectura sua remoueat? Certè si Principes isti, ad immolandas humanas hostias, subditos adsuefacerent, si lenocinia, adulteria, incestus, sodomiam peccato carere existimantes (velut integris regnis, ac prouincijs persuasum fuisse, atq; etiam præcipuos Philosophorum eiusmodi errori auctoritatem dedisse scimus.) ea cum ipsi perpetrarent, tum alios impunè perpetrare sinerent, dubium non habeo, quin vltorem gladium in eos exseras, & homines vsq; eo pestilentes non gradu tantum deijcias, sed prorsus etiam de medio tollas, siquidem, vt rectè poëta censet,

Caesaris non est curare conscientiā Principum.

Sed ad verbū Sacerdotis pascere populos.

Minora peccata Principum non toleraret Cæsar.

Etiamsi ipsi ea pro peccatis non haberent.

Est turpe, turpe, seu putes, seu non putes:

Quid igitur? num tu Hæresin vno quouis istorum scelerum non multo grauius esse censes? *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit?* siue quis ei peccato, quod directò, & vt ita dicam, immediatè ipsum Deum ignominia afficit, veniam à Deo impetratum iri credat? 1. Reg. 2. Itaq; cum Manasses Rex Lutheranus seduxisset populum, & *peccare fecisset Iudam, vt irritarent Dominum*, gloriam eius cum dijs alienis communicando, (4. Reg. 21.) *vtq; diligerent mouere pedes suos, & non quiescerent*. (Ier. 14.) hoc est, vt nequaquam molestè ferrent, se in Regis sui impietatem pertrahi, *sed ambularet*

Multo ergò minus tolerare Hæresin debet.

bularet

bularet vnusquisq; post prauitatem cordis sui mali, (Ier.56.) *ireq; in admonentibus suis* (Psal. 80) *succensa est indignatio Dei*, quæ extingui,& quantumuis Sancti hominis deprecatione mitigari non potuit (4. Reg. 2.) velut Ierem. 14. legimus: *Dixit dominus ad me: noli orare pro populo isto in bonum. Cum ieiunauerint, non exaudiam preces eorum, & si obtulerint Victimas, non suscipiam ea, sed gladio, fame, peste absumam eos.* Et Ier. 15. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, propter Manassen regem. quis ergo miserebitur tui Ierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* quasi dicat idem quod Iosue: *Deus sanctus, & fortis amulator est, nec ignoscet sceleribus vestris*, Ios. 24. Ex quibus omnibus apparet, genus Tyrannidis esse omnium longè teterrimum, cum populus Principis sui, siue vi aperta, siue (quod adhuc multo peius, & calamitosius est) blanditijs verborum doloq; à vero Dei cultu abducitur, cum eius delicti pœnas tam in hoc, quam in altero sæculo Deus expetere, neq; vlla cuiuscunq; sancti deprecatione flecti soleat. quò pertinet etiam locus hic Isai 24. *Visitabit dominus super Reges terra, qui sunt super terram, quia transgressi sunt Leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius, ideoq; insanient cultores eius, etiam relinquentur homines pauci. Luxit Vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui latabantur corde. Grauabit eos iniquitas sua, et corruent, et non adijcient, vt resurgant.* Iam verò Lutherus ipse fatetur, eos, qui errant in religione, & *sententiam quampiam falsam verbis scriptura perperam intellectis probatam pro vera amplectuntur*, siue qui perperam scripturas intelligunt, *ex Diabolo Deum facere*, siue diabolo honorem Deo debitum, deferre. Itaq; cum tu ipse Lutherum *pro auctore Schismatis preq; manifesto, ac pertinaci Hæretico, imo pro dæmone habeas humana specie induto, cuius immanitas atq; rabies nullius oratione satis explicari possit*: Lutherani vero Principes eum velut Prophetam Dei, tertium quippe Eliam, & alterum Ioannem Baptistam complectantur, & foueant, eiusq; doctrinam, siuè nouam scripturarum interpretationem, quam ipse post Apostolos nunquam in vniuerso Orbe, neq; auditam, neq; lectam fuisse gloriatur, pro Apostolica, ac diuina populis suis commendent, itaq; Diabolum Dei loco adorari coliq; faciant, & sic omnium Tyrranorum, qui vnquam fuerunt, immanitatem longè, longèq; superent, profectò nisi parum cordi habes Dei gloriam, neq; peste, ac pernicie ouium, precioso Christi sanguine redemptarum, quicquam commoueris, nullo modo committes vt populi, quos tibi Deus educendos, & inducendos commisit, à Vicarijs tuis in errorem abducti, pro veritate

Principes in Hæresin subditos pertrahentes sunt immanissimi Tyranni.

Nam ob hæresin subditi in hac, & in altera vita plectuntur.

Tom. 8. Germ. Ien. aduersus Papatum fol. 223. b. §. 2.

Hæreticis credentes diabolum loco Dei adorant, ait Lutherus.

tate, mendacium amplectantur, & Diabolum pro Deo colant. Quod enim ipsi populi non modò nihil eo nomine Principibus suis succenseant, sed vltrò etiam gratias debere se putent, multisq; & assiduis precibus, vt sibi cum venia, & bona gratia tua Lutheranis esse liceat, tibi molesti sint, non magis tamen hoc tua refert, quam si ex animi sententia Mahometem prophetarum maximum esse credant, & à te Turcicæ impietatis libertatem impetratam cupiant; *Pulcherrimum opus est*, ait Seneca, *etiam inuitos nolentesq; seruare; rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est*. Tuum non est Imperator, greges tuos sibi pascere, vbi ipsi volunt, tametsi pascua optima, & vberrima sibi inuenisse videantur, sed vbi iusserit Sacerdos, siue Pontifex Romanus, ad cuius verbum tu, & vniuersus Israel egredi, & ingredi debes, cui etiam honorem debitum exhibiturum te iurasti. *Quòd si quis autem superbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, ex Iudicis deceeto morietur homo ille, & auferes malum de Israel, vt cunctus populus audiens timeat, nullusq; deinceps intumescat superbia*. Deut. 17.

Subditos ne volentes quidem errare Cæsar debet permittere.

CAPVT II.

Iure Cæsareo Protestantes sunt Hæretici.

SI quæras vbi sit eiusmodi Iudicis decretum, in ipso vestibulo Iustinianæi Codicis id tibi monstrabitur. Imperatores enim Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, dati à Deo, vt iudicarent terram, lege lata sic sanxerunt. *Cunctos populos, quos clementia nostra regit Imperium, in tali volumus versari religione, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis Religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quámq; Pontificem Damasum sequi claret. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos dementes, & vesanos iudicamus, & Hæretici dogmatis infamiam volumus sustinere, diuina primum vindicta, post etiam nostra vltione plectindos*. l. 1. C. de summa Trinitate. Et Imper. Theodosius, & Valentinianus l. 3. C. eod. *Omnia prouocantia Deum ad iracundiam scripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus. Itaq; sancimus huiusmodi scripta comburi, & perfectissimo interitui mancipari, ita, vt in nullius cognitionem venire possint, his qui talia scripta, aut tales libros habere, aut legere susti nuerint, vltimum supplicium experturis*. Rursum Impp. Arcadius, Honorius, & Theodosius l. 4. C. de Hæret. *Hæresin volumus esse publicum crimen, quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam*, C. nam, *Sæpè Diespiter neglectus incesto addit integrum*, ait poeta, siue gladius domini occidit in populo iussũ, & impium, Ezech. 21.) *quos etiam bone-*

Et vltimo supplicio afficiendi.

bonorum omnium publicatione persequimur. Ipsos quoq; volumus amoueri ab omni liberalitate, & successione quolibet titulo venientē. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi cuiquam conuicto relinquimus facultatem: suprema quoq; illius scriptura irrita sit. Sed nec filios hæredes existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. In eos etiam auctoritatis nostræ aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda prouisione defendunt, siuè qui domo eos excipiunt: Et Martian. Imp. l. 8. C. eod. *Vltimo supplicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint. Aequum namq; est, vt immanissima Sacrilegia par pœna magnitudo percellat.* Et Imperator Fridericus in Authentica Gazaros ibidem: *Omnes Hæreticos vtriusq; sexus, quocunq; nomine censeantur, perpetua damnamus infamia diffidamus, atq; bannimus: censentes, vt omnia bona talium confiscentur, nec ad eos vlterius reuertantur: ita quod filij eorum, ad successionem eorum peruenire non possint, cum longè grauius sit, æternam, quam temporalem maiestatem offendere.* Sic igitur habes, Imperator, decretum Iudicis, ex quo interficere debes quemcunq; summo Sacerdoti non obedientem, idq; *statim* quemadmodum Deut. 13. præcipitur. *Si quis tibi voluerit persuadere, vt seruias Dijs alienis, quos ignorarunt patres tui.* (siue vt nouam religionem amplectaris.) *non acquiescas ei, nec audias* (quibus argumentis suam sententiam probet.) *neq; parcat ei oculus tuus. vt miserearis, sed statim interficies, vt omnis Israel audiens timeat.* Atq; huius rei tibi Dauid exemplo esse potest, qui de se gloriatur Psal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, qui terram, siue populum terræ *peccare in Deum faciunt idque verbo*, siue, per conciones, vt Lutherus interpretatur, Isai. 29. *qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*, Rom. 16. *qui scripturas intellectu difficiles deprauant, & eos, qui se ab ijs non custodiunt, sermone suo traducunt, & excidere faciunt à firmitate, & cognitione Christi*, 2. Pet. 3. huiusmodi ergo peccatores terræ ait Dauid, *in matutino*, hoc est, statim vt exorti fuerant, interficiebam, *vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem*, siue vt nullus inueniretur, *qui non acquiesceret veritati, sed crederet iniquitati*, siue impiæ doctrinæ; Rom. 2. Quemadmodum verò Deus, vt nobis veram religionem tantò facilius persuadeat, etiam temporalia bona mercedis loco pollicetur (Isai. 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Marci 10. *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut agros propter me, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.*)

Et ex Imperio proscripti.

Hæretici, & Scismatici statim interficiendi.

Cur Deus Hæreticorum bona Catholicis det occupanda

Similiter vt Catholicos omnes, in primis vos Magistratus, ad gloriam suam, & veritatem fidei nostræ ab inimicorum, siue Hæreticorum iniuria tuendam, ac vindicandam magis excitet, atq; inflammet, solam hæresin, & Sacrilegium, siue bonorum Ecclesiasticorum occupationem, & rapinam, satis iustum, Hæreticos, & sacrilegos, etiam suis bonis spoliandi titulum esse voluit, ac pijs Imperatoribus, vt legibus latis eorum bona publicarent, aut confiscarent, mentem dedit, quemadmodum ipsarum verba legum modò audiuisti. Itaq; cum Donatistæ Catholicis hinc inuidiam facerent eósq; improbæ cuiusdam alienorum bonorum cupiditatis, propterea insimularent, sic eis *S. Augustinus* Epist. XLVIII. *ad Vincentium* respondit: *Falsò res vestras appellatis, quas nec iuste possidetis* (nec enim ius est, vt hostes Dei, bonis eius fruantur.) *& secundum leges regum terrenorum*, siue Cæsarũ *amittere iussi estis frustráq; dicitis: Nos eis congregandis laborauimus: Cum scriptum legatis: labores impiorum Iusti comedent*. Siuevt est in 70. *Thesaurizantur iustis diuitia impiorum*. Prou. 13. De quo eodem iustissimo acquirendi hæreticorum bona titulo, Iob 27. sic docemur: *Hac est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum* (hypocritarum auarè rapientium, & potestate, ac principatu abutentium.) *quam ab omnipotente suscipient. Nepotes impij non saturabuntur pane. Praeparabit quidem sibi vestimenta, sed iustus vestietur illis: comportauit quasi terram argentum, sed illud innocens diuidet.* Quare si vel Imperator, & Dominus Hæreticorum principum non esses, neq; in eos vllam iurisdictionem haberes, tamen sola etiam Catholicæ fidei in Prouincijs eorum conseruatio, aut propagatio, & Ecclesiarum ab ipsis dereptarum, aut in Fiscum sacrilegè redactarum recuperatio, ac restitutio ad bellum ipsis inferendum, & occupandas tibiq; ac familiæ tuæ vindicandas Prouincias eorum, exacuere te debebat, cum tantum ea ex re præmium percipere tibi liceat, nec enim religionis propagatione vllus esse potest iustior, ac probabilior rei suæ augendæ, ac finium proferendorum titulus. Itaq; Iudic. XI. Iephte Dux Israelitarum, sic cum Rege Ammonitarum disputat: *Dominus subuertit Amorrhæos, pugnante contra illos populo suo Israel, & tu nunc vis possidere terram eius? Nonne ea, quæ te possidere fecit Chamos Deus tuus, tibi iure debentur?* quasi dicat. Nonne tu propterea iusto titulo regnum Ammon possidere tibi videris, quia auspicijs religionis tuæ, & vt Dei tui cultus propagaretur, maiores tui eam prouinciam occuparunt?) *Itaq; quæ Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem*, id est, nos similiter optimo titulo Amorrhæis cæsis, aut eiectis, terram eorum possidemus, quia vt falsam illorum religionem euelleremus, nostramq;

Hæretici sunt iniusti rerum, quas tenent possessores.

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.

Carolus V habebat iustissimam causam Hæreticos sub iugum redigendi.

Israelita titulo religionis Palæstinam occuparunt?

ftramq; veram inferremus, arma eis primum mouimus. Rectè autem disputasse Iephten, Ipse Deus Ierem. 49. sic affirmat. *Hæc dicit dominus: Nunquid Israel non habet filios? aut hæres non est ei? Cur igitur Melchon* Deus Ammonitarum, *hereditate possedit Gad*, siue terram illam, quam Tribus Gad occupauerat: *& populus eius* Melchom *in Vrbibus Gad habitauit?* quasi dicat: iniquissimum est, cum adhuc superfint Israelitæ de tribus Gad, qui terram istam optimo titulo occuparunt, eam ab Ammonitis, falsam religionem colentibus teneri: nam falsæ religionis defensio, aut propagatio, occupandi terram eorum, qui veram religionem sequuntur, nequaquam iustus est titulus. Sunt ergo Ammonitæ malæ fidei possessores. *Ideo ecce dies veniunt, dicit dominus, & auditum faciam super Ammonitas fremitum prælij, eritq; ciuitas eorum in tumulū dissipata, filiaq;* siue suburbana eius, *igne succendentur, & possidebit Israel possessores suos, & Melchom Deus eorum, in transmigrationem ducetur. Sacerdotes eius, & Principes eius simul*. Eodem prorsus modo iniquissimum est, Lutheranos Catholicorum terras tenere, & iure tu Cæsar auditum facies fremitum prælij, ac VVitenbergam in tumulum dissipabis, ignèq; succendes, possidebuntq; Catholici, ac sub ditionem suam redigent eos, qui se prius possederunt, & Lutheranismus in transmigrationem ducetur, siuè ex Germania exterminabitur, Prædicantes eius, & Principes eius simul. Hoc quò minùs rectè à te fieri dubites, audi decretum Lateranensis concilij, Innocentio III. Pontifice, celebrati, cui tam Orientis, quam Occidentis Impp. Regumq; Hierosolymitani, Galli, Hispani, Angli, Cyprij, multarumq; rerumpub. Legati præsentiam, & assensum commodarunt. *Si Dominus temporalis requisitus, & monitus, ab Ecclesia, terram suam ab Hæretica fæditate purgare neglexerit, excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere intra annum contempserit, Vasallos Pontifex, ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis Hæreticis sine vlla contradictione possideant*. Audi etiam quid Imp. Fridericus II. in constitutione sua in eandem sententiam sanxerit: *Statuimus* (.inquit.) *hoc Edicto in perpetuum valituro, vt potestates, Consules, seu Rectores, quibuscunq; fungantur officijs, pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quod de terris suæ Iurisdictioni subiectis, vniuersos Hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt. Si verò Dominus temporalis* (siue Princeps, Comes &c.) *requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, post annum à tempore admonitionis elapsum, terram illius exponimus Catholicis occupandā, qui eam exterminatis hæreticis*

Hæretici nullo iusto titulo possident ea, quæ fuerunt Catholicorum.

Ac propterea à Deo puniuntur.

Principes Hæresim in Prouincijs suis tolerantes.
Sunt Catholicorum prædæ expositi.

Magistratus tenentur iurare extirpationem Hæreticorum.

absq; vlla contradictione possideant, & in fidei pietate conseruent? Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores Hæreticorum bannimus, firmiter statuentes, vt si, postquam quilibet talium fuerit ab Ecclesia Excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, vel ad eligendum aliquos adhibeatur, neq; ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Quod si forte Iudex exstiterit, eius sententia nullam habeat firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Huiusmodi ergo est Decretum Iudicis, ex quo in eos, qui superbierint nolentes obedire Sacerdotis Imperio animaduertere Cæsar iuberis: hoc pacto molas, seu dentes iniqui conterere, his modis prædam de dentibus illorum auferre debes, nisi quidem quamprimum subditorum aliqui diuinis, ac humanis legibus teneri, atq; conciliorum decretis, & Imperialibus Edictis parere grauabuntur, Magistratum arbitratu ipsorum leges nouas figere, veteres omnes abrogare, ac refigere fas, & æquum, ac reipub. conducibile, & salutare existimas.

Non solum Hæretici, sed etiã Catholici Hæreticis fauentes declarantur Infames.

CAPVT III.

AC tametsi ea, quæ ex sacris literis, ex SS. Concilijs, & SS. Patribus, ex ipsorum deniq; Imperatorum maiorum tuorum constitutionibus iam audisti, ad sumendas de Hæreticis pœnas, & abrogandam Principibus hæresi imbutis potestatem, Pontificumq; & Episcoporum obedientiam, ac bonorum Deo consecratorum incolumitatem supplicijs sanciendam, satis te inflammare debent; nihilominus vt eos, qui mollibus sententijs hæreticorum successus alere, têq; obiecta falsæ clementiæ specie ab officio detrahere conantur, tibi nequaquam audiendos, sed velut homines, aut insigniter improbos, aut rerum gerendarum turpiter imperitos, procul habendos, imo cane peius, & angue vitandos esse magis intelligas, age *vaca, & vide opera Domini*, quæ ipse *verba signorum suorum* appellat, (Psal. 104.) vt dubitare non debeas, quin vetet Deus eos ouium suarum pastores, siue populi sui principes esse, qui non ad verbum summi Sacerdotis, sed suo modo, & arbitratu populum ducere conantur, siue falsam religionem, aut Hæresin amplectuntur: cum eiusmodi Principibus instinctu Dei, subditos ipsos, aut etiam alienos, nullam inimicitiæ causam cum eis habentes, sæpissimè Imperium abrogasse, sibiq; vindicasse constet. Exempli causa. Salomonem optimo iure totius Israelis regnum tenuisse, nemo est qui ambigat. Huius tamen seruus Ieroboam *leuauit manum suam contra ipsum, cuius rebellionis hæc*

Quales Consiliarij Cæsari Carolo diligenter cauendi.

Hæreticos Principes Deus etiam à subditis puniri facit

Salomonis Imperium subditi excutiunt propter eius Hæresin.

fuit

fuit causa, quia Deus per Prophetam Abiam Ieroboamo sic locutus fuerat: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, eò quòd dereliquerit me, & non ambulauerit in vijs meis. Te autem assumam, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua, erisq; Rex supra Israel. Si ergo ambulaueris in vijs meis, & feceris quod rectum est coram me, & custodieris præcepta, & mandata mea, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, siue stabilem. 3. Reg. 11. Cùmq; postea decem tribus à Roboamo Salomonis filio defecissent, ac Ieroboamum Regem sibi constituissent, eosq; Roboamus armis sibi subijcere rursum pararet, perspicuè Deus, cur bello supersederi vellet sic eos docuit: *A me enim factum est verbum hoc.* 3. Reg. 12. siue *mea hoc gestum est voluntate.* 2. Paral. 11. Nihil ergo peccauit Ieroboamus, cum aduersus regem suum legitimum rebellauit, eiq; maiorem regni partem eripuit. alioquin neq; Deus bellum aduersus eum suscipi vetuisset, neq; domum ei stabilem sicut Dauidi, daturum se promisisset.

Eamq; rebellionem Deus ratam habet.

Ieroboam rebellando nihil peccauit.

Quamuis autē Deus eum sua voluntate Regem factum fuisse hoc loco affirmet, tamen alio loco de eodem, & successoribus Regibus Israel, contrarium testatur Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui.* quod perinde est, ac si nullo eos iure Regnum tenere dicat. Cum enim Deus sit *Rex vniuersæ terræ altissimus regum, qui potestatem habet in regno hominum, & quemcunq; voluerit, suscitabit super illud,* siue Vicariū suum constituet (Daniel 5.) certè qui aliter regnat, quam ex Deo, & ignorante, seu non probante Deo, principatum gerit, Dei Vicarius, siue Rex, bono cum iure, ac titulo perhiberi nequit. Causa verò cur Ieroboamum neget iusto titulo Regnum à se ipso datum obtinere, hæc est, quia hac lege Regem eum constituerat, *vt ambularet in vijs domini, & custodiret omnia mandata eius,* inter quę præcipuū erat, *vt constitueret per singulas tribus Iudices, & Magistros,* siue Cōsiliarios leuiticæ tribus (Deut. 16. 18 & Deut. 19. 17) quorū si *verba variarentur, & difficile, atq; ambiguum videretur iudicium,* vt faceret subditos *adscendere* Hyerosolymā *ad Summū Pontificē,* & sacrum consistorium, seu synedriū, *eumq; occideret, qui sententiæ Pontificis obedire nollet* (Deut. 17.) *vtq; ipse Rex, & omnis Israel ad verbū Pontificis egrederetur, & ingrederetur* (Num. 27.) Ieroboam verò huiusmodi mādata nequaquā custodiuit, & eiecit Sacerdotes leuiticæ tribus, vetuitq; subditos adscendere Hyerosolymam, fecit Sacerdotes de nouissimis populi, quibus duos vitulos (tanquam Augustanam confessionem, & Apologiam eiusdē) colendos per præconem edixit, se deniq; vno verbo *caput Ecclesiæ* Israeliticę cōstituit, & primatū in regno suo, velut Henricus in Anglia sibi adsciuit (3. Reg. 12. 27. & 2. Paral. 11. 14. & 13. 9.) propter

Ieroboam nequaquam iusto titulo regnum iustè acquisitum tenuit.

Quia nō mansit Catholicus neq; Pontifici summo subditus.

Sed Schisma fecit, seq; Caput Ecclesiæ constituit.

hanc

hanc verò causam (ait scriptura 3. Reg. 13. *peccauit domus Ieroboam*, siue, nullo iusto titulo regnum tenuit, *& euersa est, & deleta de superficie terræ*, nempe à Baasa, *qui insidiatus est filio Ieroboam, eumq; & omnem domum eius interfecit, ac regnauit pro eo* (3. Reg. 15.)

Itaq; iure à rebelli subdito fuit regno spoliatus.

Si quæras, an Baasa sine peccato, & iusto titulo domum Ieroboam vita, & regno exuerit, Deus ipse iustè id factum præstat. 3. Reg. 14. *constituet sibi dominus Regem super Israel, qui percutiet domum Ieroboam.* Et 3. Reg. 16. *Ego te Baasa posui ducem super populum meum Israel.* Fuit igitur Baasa legitimus Rex, sed quoniam ipse & filius eius, nequaquam ad præscriptum, siue legem Dei, *cuius erant Vicarij*, sed ad Ieroboami exemplum regnò præfuerunt, hoc est, cum ipsi peccarunt in religione tum peccare fecerunt Israel, propterea iure Zambri *seruus eorum rebellauit, omnemq; domum Baasa propinquos, & amicos eius interfecit, & in solio eius sedit iuxta verbum domini, quod locutus fuerat ad Baasa.*

Baasa Rex propter Hæresin cum Vniuersa familia interemptus.

Sed cum idem Zambri, non modo eandem quam domus Ieroboami, & Baasæ, religionem sequeretur, sed etiam insidias, & tyrannidem statim sub initia regni sui exerceret, Ambri cum exercitu in eum mouit, obsessumq; tanto terrore impleuit, vt se ipsum cum omni domo regia incenderet 3. Reg. 16.

Hæresis frater, ac nis plerūq; simul.

Quid adhoc Exemplū Pulueraria illa Anglorū coniuratio?

Porro Ambri Rex factus superiorum Regum religionem, vel hæresin secutus est, filius verò Ahab præter duos vitulos aureos, etiam *Baal Deum Sidoniorum*, cum coluit Ipse, tùm à populo colendum curauit, quod simile quiddam est, ac si præter Augustanam confessionem, & Apologiam ex vicina Gallia Caluinismum induxisset, consilia quidem certè eius non minùs, quàm Caluinistarum hodie, sanguinaria fuerunt, & permittente ipso Regina Iezabel prophetas Domini, qui velut collegia, aut Monasteria, tribus distinctis locis in Israel habebant, multaq; Israelitarum millia, etiam in aula Regis, in veteri Religione instituebant, & confirmabant, ad necem quæsitos, & inuentos interemit.

Achab Rex Caluinianus.

Huius filius Ioram tametsi à Balaismo, siue Caluinismo patris sui discessit, binos tamen vitulos coluit, ac propterea Elisæus nequaquam pro legitimo rege eum habuit, quamuis Regnum ab auo & patre, consentiente populo, hæreditario iure accepisset, quin etiam dignum non duxit, quem vel audiret, vel respiceret, 4. Reg. 3.

Elisæus Regem hæreticum nequaquam pro Rege habet.

Sciebat quippe Propheta sanctissimus, neq; populum Regibus suis tanquam Dei Vicarijs, maiorem, quam Deus velit, potestatem tribuere, neq; Reges ea quæ non accepissent, posteris suis relinquere potuisse. Reges Dei ministri sunt, & pastores gregis Domini, itaq; omnia sua consilia, dicta, ac facta, ad Dei patroni sui honorem, & vtilitatem referre, & gregem eius *in innocentia cordis pascere, atq; in intellectibus manuum suarum* (velut Dauid

Regum munus & officium.

regis

regis officium describit Psal. 77.) *deducere* necesse habent. Sin autem vel Deum ignominia, & contumelia afficiant, nouam religionem sectando, & legem Dei, siue tollendo, siue peperam interpretando (quod quidem omnium peccatorum est atrocissimum) vel populum domini fraudulenter, ac sine consilio, & intellectu ducant: iam Reges, ac pastores esse desinunt, & Tyranni, ac lupi esse incipiunt. Itaq; Elisæus Ioramum istum non modo in honore nullo habuit, sed etiam *homicida filium* contumeliæ causa vocauit, & missum ab eo nuncium in ædes suas intromittere noluit. 4. Reg. 6. Iehu verò eand. ob causam tametsi subditus esset Iorami, contra eum coniurauit, ipsumq; cum omni domo sua, & vniuersos optimates eius, & notos, & Sacerdotes interfecit, ac Regnum inuasit. Quòd verò in eo prorsus nihil peccarit, hæc Dei ipsius ad eum verba docent. 4. Reg. 10. *Quia omnia qua erant in corde meo, contra domum Achab, studiose fecisti, filij tui vsq; ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Iam vt ad regnum Iudæ conuertar, quia Ioram filius Iosaphat *impulsus ab vxore sua, qua erat Acabi* Caluiniani Regis *filia, in vijs regum Israel ambulabat, & fornicari fecerat habitatores Ierusalem, & prauaricari Iudam*, siue quia subditos in falsam religionem inducebat, propterea *rebellauit regnum Edom, ne esset ei subditum, & Lobnai queq; ab eo recesserunt* eiusq; ac posterorum ditioni se in perpetuum exemerunt, sed etiam mortuũ subditi sui nequaquam velut Regem sepelierunt, neq; exequias ei fecerunt, 2. Paral. 21. Athaliam Reginam Iudæ, *quia Baal Deum colebat*, siue Caluinismo dedita erat, *& qua in templo domini sanctificata fuerant, ijs ornauerat fanum Baal.* 2. Paral. 24. 7. Summus Pontifex coniuratione cum Centurionibus, ac militibus facta interficiendam curauit, & Ioam eius loco Regem constituit, *cum prius dedisset in manu eius tenendam legem, & Sacramento eum adegisset, vt populus* esset domini, siue vt vera tantum Religio in regno toleraretur. 4. Reg. 11. & 2. par. 23. Quoniam verò Ioas postmodum Iurisiurandi, quod Pontifici dederat, oblitus in gratiam Principum suorum, Autonomiam, siue quam quisq; vellet religionem subditis liberam fecisset, vt intelligeret, se regni iure excidisse, *immisit Deus Syros in Iudaam, qui ignominiosa in eum iudicia exercuere*, & populus à coniuratis interfectum Regijs Exsequijs nequaquam dignatus est 2. par. 24. Eius filius Amasias, ideò quòd Idumæorum religionem suscepisset, & à Deo, siue veteri religione discessisset, facta contra ipsum coniuratione profugit, sed mox reprehensus vitam cum regno simul amisit. idq; à Subditis suis coniuratis factum, *ipsius Dei opus dicitur* 2. par. 25. Et 4. Reg. 14. Ozias eius filius tametsi nouam religionem

Quæres ex Rege Tyrannum, ex Pastore lupum faciant.

Iehu aduersus Regem suum propter Haresin rebellat.

Ac propterea à Deo laudatur, & præmijs afficitur.

Iorã ab vxore heretica deprauatus Haresin inducit.

Ac propterea Subditi aduersus eum rebellant.

Athalia Regina propter Caluinismũ summi Pontificis iussu interfecta.

Eiusq; Regnũ Catholico datum.

Quipostea quã Principibus religionis libertatem tribuit regni iure excidit.

Amasias propter susceptam Haresin.

A coniuratis iustè occiditur

Ozias quia Pontifici minatur eiusq; munus inuadit.

Regno iure priuatur.

religionem non sectaretur tantum, quia neglexit dominum, inuadendo munus Sacerdotum, & superbè Pontifici minando, à Deo lepra percussus, à Pontifice verò, & Sacerdotum collegio è templo eiectus, & regno priuatus fuit. 2. Paral. 26. In quo exemplo animaduersionem meretur, quod Pontifex eum nequaquam Regem vocat, ex quo Sacerdotum partes ille suscepit, sed tantum nominè suo eum appellat, vt iam Regno eum excidisse, & in ordinem hominum priuatorum redactum esse doceat: id quod S. Chrysostomus opportunè monuit: *Ingressus* (inquit) *Ozias vt Sacerdotium vsurparet, etiam regnum perdidit. Ingressus est, vt fieret venerabilior, & factus est execrabilior. Nam quouis homine priuato posthac erat magis detestabilis. Non nominauit eum Pontifex Regem, neq; titulo Principatus appellauit, propterea quod ipse praeueniens se se dignitate deiecerat.* Eodem verò modo Saul quoq; regno excidit, quod cum in hostem moturus Deum prius Sacrificio propitiare cuperet, Samuel verò Sacerdos, qui se venturum, ac sacra facturum promiserat, moram faceret, ipse holocaustum Samuele non expectato obtulisset. Excusat ille quidem se Samueli: *descensuri* (inquit) *erant Philistai, sicut arena maris plurima contra me, à quo populus omnis metu dilapsus erat, eo quod nemo in toto Israel gladium, aut lanceam haberet. Ego vero faciem domini non placaueram, eo quod tu iuxta placitos dies non veneras. Necessitate itaq; compulsus, obtuli holocaustum,* Sed responsum à Samuele accepit: *stultè egisti, nec custodisti mandata Dei tui, quod si non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget, Quaesiuit sibi dominus virum iuxta cor suum.*

Saul regnum perdidit Sacerdotis munere inuaso.

Rex ob lepram corporis iure à Pontifice regno priuatus.

Deinde verò & illud in Oziae historia obseruatione dignum est, lepram corporis iustissimam fuisse causam Regis à Solio perturbandi, & in ordinem redigendi. *Habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat à Pontifice Ioatham verò filius eius gubernabat palatium, & iudicabat populum terrae.* Nam de leprosis lex erat Leuit. 13. *Quicunq; maculatus fuerit lepra, separabitur ad arbitrium Sacerdotis, & solus habitabit extra castra,* quid ità? quia lepra morbus est contagiosus facilèq; ad alios transit. Itaq, nec Reges ea lege excipiebantur. At enim lepra animi, siue Haeresis, aut inobedientia erga Sacerdotes, *velut cancer serpit*, teste Apostolo 2. Tim. 2. siue contagiosa est, ac velut *modicum fermentum, totam massam*, siue totam congregationem hominum simul viuentium *inficit*. Itaq, *cum huiusmodi nec cibum sumite, nec in domum, qui talis est, recipite, nec Aue ei dicite, imo auferte malum ex vobis ipsis, & expurgate eiusmodi fermentum.* 1. Cor. 5. & Ioan. epist. 2. Quid autem si Rex eiusmodi lepra in-

Nam alioquin plures lepra infecisset.

Haeresis, & inobedientia erga Episcopos est lepra animi.

fectus

fectus fuerit, hoc est, si Dei vocem ex ore Sacerdotis profectam contempserit, legemq; seu Scripturam in ijs, quæ ad salutem omnino sunt necessaria, aliter quam Sacerdotes docent, intellexerit, an etiam ipsum ad Sacerdotis arbitrium separatum, seorsum ab alijs habitare, adeoq; regno exutum, ac priuatum viuere oportebit? quid ni? cum lepra corporis nequaquam tantum hominibus noceat, quantum lepra animi? Rex autem à Deo datur, vt pascat populum, vt ante eum egrediatur, & ingrediatur ad præscriptum Sacerdotis, siue Dei ipsius, qui verbum, & Spiritum suum in ore Sacerdotis posuit, ibiq; in æternum relicturum se promisit, vt omnes legem, & scientiam, siue Textum, & sensum scripturæ à Sacerdote requirerent: quem si Rex contemnat, & ab eo leprosus iudicetur, cum lepra sua multò facilius aliorum animos, quam quiuis priuatus inficere queat, Deus eum munere Vicarij sui iam excidisse, Saulis Regis exemplo declarat. 1. Reg. 15. Is enim neglecto Sacerdotis mandato Regi impio, quem bello ceperat, pepercit, neq; meliores oues, & armenta occidit, quemadmodum iussus fuerat, sed *timens populum, & obediens voci eorum* ea seruauit, vt Deo immolarentur. Itaq; mox à Samuele audiuit: *Melior est obedientia, quam Victima, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere: Quia ergo proiecisti sermonem domini, & proiecit te dominus, ne sis Rex super Israel, & tradidit regnum tuum proximo meliori te.* Si Rex non obediens, sed repugnans spiritui, qui in Sacerdote loquitur (*non enim vos estis, qui loquimini sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* Matth. 10. Itaq; Paul. 2. Cor. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus*? quod similiter omnes per impositionem manuum facti, & gratia sancti Spiritus donati presbyteri, siue Episcopi, dicere possunt, cum Deus eum spiritum pastoribus in æternum promiserit, vt oues suas scientia, & doctrina pascere possent, Ier. 3. & Isai. 59.) Si ergo Rex Sacerdoti repugnans non sua sponte, sed *timens populum, & obediens voci eorum* proijcitur à domino, ne Rex sit super populum: quis dubitabit, quin eum, qui sponte sua repugnat, & populum similiter repugnare facit, Regno indignum habeat? Alienigenam Deus Deut. 17. populi sui quamuis volentis regem esse prohibuit, & Paul. 1. Cor. 6. Vetat Christianos Ethnicis, siue Alienigenis Iudicibus vti, ipsosq; sibi iudices, qui Christiani sint constituere iubet. At enim *qui Ecclesiam non audit*, & Deum in Sacerdotibus loquentem contemnit, debet nobis esse velut alienigena, siue *Ethnicus*, atq; insuper velut *publicanus*, siue omni odio dignus, Matth. 10. Et si nos *subtrahere debemus ab omni fratre ambulante inordinatè, neq; cum ille commisceri.*

Itaq; Rex ex lepra laborans in ordinem est redigendus.

Alioquin longè plurimos eadem lepra inficiet.

Saul Rex metu populi facit contra Sacerdotis præscriptum.

Itaq; Deus regno eum abdicat.

Nam per Sacerdotum, & Episcoporum os Spiritus Dei loquitur.

Alterius religionis homines, Christianorum neq; Reges, neq; iudices esse possunt.

2. Thes. 3. Idq; partim ipsius causa, vt siue ignominiæ, siue cuiuscumq; damni metu resipiscat, partim ne impunitas illius alijs eiusdem delicti libidinem pariat, & sic ordo Ecclesiæ turbetur, certè saluo officio Regi leproso, & ordinem Ecclesiæ turbanti subditi adhærere nequeũt, sed *ab eo* velut Dei non iam Vicario, verum hoste, & æmulo *se subtrahere, neq; cum eo commisceri*, multo minus autem ab eo iudicari debent. Reges Brachia sunt Ecclesiæ. Isai. 51. *Brachia mea populos iudicabunt*. Quod si nunc brachium cancro teneatur, quo tolerato paulatim cætera membra infici, & ad extremum corpus vniuersum interire oporteat: insanus sit oportet, qui neget id amputari, ac membra, si modo possint, ad capitis, siue Ecclesiasticorum imperium aliud eius loco reponere debere. Lucifer quidem *vir religiosus, Episcopus bonus, templum Saluatoris, & alter Elias* (.velut Sancti Athanasius, & Hilarius de ipso iudicarunt.) summæ impudentiæ esse tradit Hæreticum Regem Catholicis imperare velle. *Sic* enim Constantium Imp. appellat. *Cum Antichristum susceperis pro Christo, qua fronte, nisi adultera, dominari voluisti populo Dei? subijcere Ecclesiam Dei tuo Regno? qua illius tantùm diuinam Maiestatem metuit, tuo futili Imperio? non aliter quam Ozias, & tu Constanti morbidus es, pestifer es, Arianus es. Lepra est in te, ideoq; vrgemus te secedere a populo Dei, sicut illi Sacerdotes Domini, de templo Oziam compulerunt egredi. Non est licitum Hæreticum conuenire cum Catholicis, insanum cum sanis, plenum immundis spiritibus cum ijs, in quibus inhabitat Spiritus Dei: preceptum est tibi Imperator, Deut. 17. non solum non dominari Episcopis, sed & ita obedire eorum statutis, vt, si subuertere eorum decreta tentaueris, morte mori iussus sis. Eodem loco Deus præcipit alienigenam non fieri Principem, ne scilicet ad suam sectam trahat alios, ne reuocet in Aegyptum, hoc est ad Idolorum cultum, quasi dicat, quis es tu, Constanti, qui tibi hanc vsurpasti auctoritatem, quam tibi Deus non tradidit, & si tradidisset, primo in loco Christianum te esse oportuerat: quia scelus est, alienigenam seruos Dei iudicare, inimicos religionis domesticos Dei.*

Regi leproso, et ordinem Ecclesiæ turbanti subditi adhærere nõ debent

Reges sunt brachia Ecclesiæ, quæ cancro infecta amputari debent.

Eadem est sententia Luciferi ab Athanasio, & Hilario probata.

Imperator Episcoporum decretis inobediens occidi iussus.

Scelus est Hæreticum imperare Catholicis.

CAP. IV.

SED vt ad exempla subditorum reuertar, qui Regibus suis imperium abrogarunt, cum aliter religionem suam tueri non possent, certè Machabæos non culpa modò vacare, sed maxima quoque laude dignos esse fateamur oportet, quod cum eos Antiochus Syriæ Rex Deum ritu patrio colere prohiberet, veramq; religionem

Machabæi propter religionem Regi suo rebellarunt.

religionem omni vi ex Iudæorum animis euellere conaretur, ipsi tanquam Sacerdotes, & custodes legis armis in libertatem se vindicarint, & Dei inimicum pro Dei Vicario, siue Rege suo agnoscere detrectauerint. Quis verò nescit Constantinopolitanos Imperatores, nullam aliam ob causam Italiæ totiusq; Occidentis Imperio excidisse, nisi quia *legem, & scientiam*, siue verum Scripturæ sensum *ab ore Sacerdotis requirere, & ad mandatum eius egredi, & ingredi* recusabant? Iconoclastarum namq; Hæresin sectabantur, & omnem sacrarum Imaginum cultum, ac venerationem sacris literis prohiberi contendebant, neq; Pontifici Romano aliter docenti, siue aliter scripturas interpretanti credere, & obedire volebant. Itaq; primum anno DCCXII. edixit Pontifex, ne nomen Imperatoris Hæretici, neq; in literis, siue priuatis, siue publicis, neq; in ære, argento, plumboue reciperetur: pòst anno DCCXXX. Imperatorem Constantinopolitanum Hæreseos nomine communione fidelium, & Imperio simul priuauit, ex quo factum, vt ab eius ditione Italiæ totiusq; Occidentis populi se eximerent, nec deinceps vectigalia ei persoluerent: Tandem desperata Græcorum Impp. emendatione Imperium occidentis *Carolo magno* Germanorum, Gallorum, & Langobardorum Regi commisit: qua de re tuum, Carole Cæsar, & Ecclesiæ inimicum Lutherum audire operæ precium fuerit. Eius in libello *ad Germaniæ Nobilitatem* hæc sunt verba. *Imperatori Constantinopolitano ereptum fuit Imperium, nobisq; Germanis nomen, ac titulus eius attributus: Eo pacto Papæ facti sumus mancipia, estq; nunc aliud Romanum Imperium, quod Papa super Germanos extruxit. Quoniam igitur per Dei voluntatem, & prauorum hominum consilium, sine culpa aliqua nostra nobis Imperium obtigit, eius deferendi auctor esse nolim. Quamuis enim Pontifices id iniustè alijs eripuerint, nos tamen non iniustè accepimus.* Sed etiam in Biblijs suis Germanicis Apocal. 13. vbi de capite bestiæ vulnerato, ac rursum sanato sermo est, hæc ad oram verba posuit. *Imperium Romarum desertum à Græcis translatum ad Germanos per Papam.* Quod Germanos Pontificis mancipia recipiendo occidentis Imperio factos dicit, Imperatores fidem, & obedientiam Pontifici debere significat, quasi scilicet liber non sit Imperator, nisi ei, quicquid libeat, credere, & facere liceat. Iosua summus Iudæorum Imperator mandatum acceperat, vt ad verbum, siue mandatum Eleazari *Pontificis egrederetur, & ingrederetur.* Quis autem nisi insanus eum Eleazari mancipium, nec liberum fuisse cogere inde velit? Nonne libertas est potestas faciendi, quicquid lex rectaq; ratio permittit? Atqui *legem requirent ab ore Sacerdotis, quia Angelus Domini est* Malach. 2. siue quia legatione

Græcis Imperatoribus ademptum occidentale Imperium propter inobedientiam erga Pontificem.

Pontifex ad Germanos Imperium transtulit ipso Lutero teste. Extat Tomo 1. Ger. Ien. fol. 312. b. in VVitembergica editione fraudulenter omissum.

Fides, & obedientia quam Cæsar Pontifici debet non pugnat cum libertate.

Quid libertas? Vide Ecclesiastici mei cap. 116.

D 2 Dei

Dei fungitur, & Spiritum Sanctum, vt legem interpretari posset accepit. itaq; tum demum liber est Imperator. cum facit quæcunq; ei lex à Spiritu Dei per Sacerdotem loquentem declarata permittit. Quod si autem Sacerdotem spernat, sibiq; contra verbum eius egredi, & ingredi permittat, non magis liber est, quam si Deum ipsum sperneret, eiusq; verbum nihili faceret, id quod hæc Apostoli verba docent. 1. Thess. 5. *Qui præcepta mea spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis*, & hæc ipsius Christi. Luc. 10 *Qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit*. Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Sanctus, qui apud vos manebit.* (Ioan. 10.) *vsq; in sempiternum* (Isai. 59.) *Et de meo accipiet, quæ annunciabit vobis*. Ioh. 16. Quod ergo Christus dixit. Ioh. 10. *habere se alias oues*, nempe Gentiles, *quas ipse adducturus sit*, id de Petro, quem totius ouilis pastorem constituit, intelligi debet, velut ipse Petrus in concilio Apostolorum Act. 15. hoc modo docet: *Vos scitis, quia Deus elegit per Os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere*. Ex quo apparet, quos Petrus docet eos ab ipso Christo doceri: & qui Petri vocem audiunt eos ipsius Christi vocem audire. Nam Christus disertim de ouibus quas Petrus adducturus esset, *vocem* inquit, *meam audient* Ioh. 10. Nimirum Spiritus sanctus, quem Christus ait, de suo accipere, in Petri ore positus non ipse Petrus loquebatur. Atq; hanc ob causam, cum Ananias roganti Petro falsum respondisset, *non es*, (ait Petrus Act. 5. *hominibus mentitus, sed Deo. Tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto. Sed Spiritum illum Sanctum Deus non in ore tantum Petri, sed etiam in ore seminis eius*, siue successorum, *vsq; in sempiternum* mansurum in Ecclesia pactus est, Isai. 59. Ergo qui mentitur, aut rebellat successori Petri, non homini, sed Deo, & Spiritui Sancto mentitur, aut rebellat. Quare non est, Imperator, quod te Pontifici fidelitatem, & obedientiam præstare pudeat. Facis enim, quod Deum Ecclesiæ suæ promisisse non ignoras Isai. 60. *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt se*, siue successores Impp. Romanorum, *& adorabunt vestigia pedum tuorum. Reges gentium ministrabunt, siue vt Ministri apparebunt tibi. Gens verò, & regnum, quod non seruierit tibi Gens, & regnum*, siue quod obedientiam, & fidelitatem non præstiterit *peribit*. Isai 49. *Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter dominum, quia fidelis est, & elegit te. Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum osculando eos, lingent*. Facis etiam, quod ante te Fridericus Aenobarbus Imp. potentissimus, priusquam à pestibus quibusdam deprauatus esset ex officio Cæsarem facere quemcunq: iudicauit, velut

Imperator spernens Papam, spernit Deum.

Christus per os Petri loquitur

Vox Petri est vox Christi.

Petro mentiens mentitur Deo, & Spiritui Sancto.

Idem est in suc cessore Petri.

Cæsarem non debet pudere, quod sit Papæ subditus.

Velut ex his verbis, quæ libro Feudorum quarto, titulo centesimo leguntur, disces: *Ex facto incidisse scio Fridericum Principem nostrum cum ab initio Dux esset, & pro ducatu fidelitatem faceret, diuino nutu postea Imperatorem creatum, petita ab eo fidelitate pro ducatu, petenti domino respondisse: non teneri se fidelitatem facere cum omne hominum genus sibi fidelitatem debeat, & ipse soli Deo, & Romano Pontifici*. Sic ergo perspicuum est, neq; mancipia esse Pontificis Imperatores, quamuis ipsi velut Dij terræ, huic Deo suo, quem Deus Deorum, qui solus Deos facit, non aliter, quam Moysen olim Pharaonum Regumq; omnium Deum constituit, fasces submittant, eiq; propter Deum fideliter seruiant ac ministrent, neq; etiam iniuriam vllam Græcos Imperatores accepisse, cum Occidentales Christiani Imperio eorum se exemerunt, postquam eos Deo, ac Spiritui sancto, per os Pontificis loquenti, rebellare, & ab omni emendationis spe penitus derelictos esse, ex ipsius Pontificis sententia satis constitit. quid enim? Si Iosua noluisset ad verbum Eleazari ducere populum Iudaicum, nonne populus quod suum erat, meritò fecisset, & Ducem eiusmodi suas sibi res habere, alijq; se meliori locum cedere iussisset? Præceptum enim Dei fuerat huiusmodi: *Ad verbum Sacerdotis egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & catera multitudo*, Num. 27. Igitur si Iosua ingredi voluisset aliter, quàm Sacerdos præcepisset, nec ipse populum, quamuis volentem ducere, neq; populus eum sequi ducem debuit. Saul quidem regni ius perdidit eo ipso, quòd neglecto Sacerdotis mandato, populo fuisset obsecutus, quemadmodum suam ipse culpam Samueli confitens, *peccaui* inquit, *quia præuaricatus sum sermonem domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum*, 1. Reg. 15. Iam vt aliqua etiam eorum exempla commemorem, quos non subditi, sed alieni propter Sacerdotum vocem contemptam, & bona Ecclesiarum occupata regno exuerunt, Clodouæus Galliæ Rex nullo alio, quam Hæreseos extinguendæ colore, in Alaricum Arianum arma mouit, eumq; interfecit, thesauros eius occupauit, & Aquitaniam suæ ditionis fecit, Verba, quibus milites ad bellum inflammauit huiusmodi ab Historicis referuntur: *Valdè molestè fero, quod hi Ariani partem tenent Galliarum. Eamus, milites, cum Dei adiutorio, ijsq; superatis redigamus terram in nostram ditionem. Hoc solum vos nosse cupio, nobis aduersum immanissimos hostes, non pro coniugibus, aut liberis non etiam pro acquirendis diuitijs, certamen esse, sed potius pro inseparabili S. Trinitatis vnitate, quam illi nefandissimo errore diuidunt. Festinemus igitur ad prælium, & diuina protectione confisi, hostiles phalanges aggrediamur intrepidè.*

Fridericus Barbarossa fatetur se Pontifici fidelitatem debere, in rebus nempe Ecclesiastici regiminis.

Imperatores, ac Reges sunt Dij terræ.

Papa. Deus Deorum, sed Dei beneficio.

Rex potius populo, quam Sacerdoti obediés regni ius perdit.

Reges propter Hæresin non à subditis, sed ab alienis regno spoliati.

Clodoueus Aquitaniam Ariano Regi eripuit tantù propter Hæresin.

Præter-

Id factum Deus, & Imperator Romanus probarunt.

Præterquam verò quod Deus ope illi mirabiliter sæpè lata, quàm iustam belli causam haberet, satis declarauit, tum etiam Anastasius Imperator amplissima legatione vltro missa, coronam auream, cum orbis terrarum approbatione, ei imposuit, hocq; verborum elogio eum affecit, *quod Christianum nomen à Gothorum furore defendisset, quod sua vnius manu Dei, hominumq; hostem, siue Hæreticum occidisset, quod eum propterea Deus, ac Religio sua generis humani patrem effecisset.* Eandem belli causam Childebertus Clodouæi filius, in Amalaricum Alarici filium sororium suum habuit, hæresin videlicet Arianam, ad quam Amalaricus Catholicos cogebat. Profectus ergo in Hispaniam cum exercitu Childebertus, Amalaricum prælio congressum occidit: Toletum, ac præcipuas Hispaniæ Vrbes cepit, & acta preda ingenti Victor domum rediјt. Iustinianus etiam Imperator nullum aliũ belli Vandalici titulum habuit, quam Catholicæ fidei, & Ecclesiarum defensionem. Vandalorum namq; Reges approbantibus Romanorum Imperatoribus ipsos quasi centum annos Africæ totius Imperium tenuerant, sed quemadmodum Iustinianus, veluti causas belli aduersus illos suscepti commemorans testatur, hostes erant cùm animarum propter Hæresin, tùm corporum propter crudelitatem, qua Catholicos ad Hæresin adigere conabantur; postremò Ecclesiarum, quas partim suis perfidis opinionibus prædicandis maculabant, partim in stabula, aliosq; profanos vsus conuertebant, Cod. lib. 1. tit. 27. Itaq; Deus mirabilem Catholico Exercitui (nam ne quis paganus, aut Hæreticus in exercitu suo militaret, Imperator edixerat.) victoriam tribuit, vt Rex Arianus bello captus, catena vinctus, Constantinopolim ductus, Vandalorum Imperium funditus extinctum, Africa deniq; tota vno trimestri recuperata fuerit, ita vt affirmet Iustinianus. *cuius belli successum excedere omnia mirabilia opera, quæ à sæculo contigerant*: Similiter Pipinum nulla res alia quàm Ecclesiarum defensio Aquitaniæ dominum fecit. Cum enim anno Christi 760. exercitum in Aquitaniam duxisset Ecclesias à VVaiphario Aquitaniæ Duce sacrilegè occupatas vindicaturus, Duxq; datis obsidibus Ecclesias Episcopis se redditurum promisisset, sed fidem datam sæpius fregisset, tandem anno DCCLXV. reuersus Pipinus periurum, ac sacrilegum occidit, & Aquitaniam suæ ditionis fecit. Quis verò nescit vnam Catholicæ fidei, & Romanæ Ecclesiæ defensionem *Carolo magno* ad pellendos Italia Langobardos Pontificis oppressores, ad profligandos in Hispania Saracenos, Christiani nominis hostes, ad Saxones fidei Christianæ, quam susceperant desertores subinde ad officium redigendos arma induisse, cumq; Langobardiæ, bonæ Hispaniarum partis, & Saxoniæ

Childebertus Regi Hæretico tantũ propter Hæresin bellũ mouet.

Belli Vandalici causa sola Hæresis, qua liberare Africã Iustinianus volebat.

Iustinianus nullo milite vtebatur, nisi qui esset Catholicus.

Itaq; mirabilẽ Deus victoriam ei tribuit.

Pipinus Ecclesias aduersus earum oppressorem defendens.

Ea occasione Aquitaniæ Dominus efficitur.

Carolum Magnũ defensio fidei, & Pontificis Langobardiæ, Hispaniæ, & Saxoniæ dominum fecit.

Saxoniæ Regem constituisse, cùm alioquin regnorum illorum occupandorum neq; ius vllum, neq; occasionem haberet. Cùm igitur partim verbum Dei scriptum à concilijs, & Pontificibus declaratum, partim *verba signorum Dei*, siue opera eius iam audiueris, quæ Reges, ac Principes, qui Verbum Dei in Sacerdotis ore positum contemnunt, neq; vt ipsi docent, populum domini ducere, ac pascere volunt, ac Dei non Vicarios, sed hostes se præbent, siue à subditis, siue ab alienis, nullã nisi defensionem honoris diuini, causam aduersus eos habentibus rectè, ac laudabiliter regno exui, atq; in ordinem redigi testantur: quid nunc Imperator, dubitas, quid tibi aduersus eos faciendum sit, qui subditi tui sunt, qui fidelitatis Sacramentum tibi dixerunt, quorum velut Vicariorum tuorum facta præstare, ac non minus pro ipsis, quam pro te, tuisq; actionibus rationem Deo reddere necesse habes? Tu ne vt patiaris Ecclesiam Romanam, cuius te filium profiteris, cuiusq; te aduocatum semper fore iurasti, ab istis pro Meretrice Babylonica, tam apertè, & impudenter infamari? Tu ne vt Pontificem S. Petri successorem, cui honorem debitum semper exhibiturum te conceptis verbis iuratus es, nullam aliam ob causam, nisi quod S. Biblia perinde vt Luthero placet, interpretari non vult, ab istis tanquam Antichristum traduci, ac deuoueri, impunè permittas? quid? si te quispiam subditorum tibi Principum periurum, ac mendacem, si Augustam coniugem tuam adulteram, & veneficã esse dicat, si vectigalia tua intercipiat, si familiares tuos pulset, an dubitabimus, quin grauissimè commouearis, quin atrocissimam iniuriam vindices, quin perduellem istum, atq; imminutæ Maiestatis reum ad Supplicium expetas? quomodo ergo, nisi te, ac tua plus, quam Deum amas, nec ad officium tuum propagandæ, & conseruandæ diuinæ gloriæ curam pertinere credis, teq; Sacramenti illius, quo Pontifici, & Ecclesiæ solenniter te deuinxisti, turpiter oblitum videri, parum pensi ducis, quomodo, inquam committes, vt impunè isti ferãt, qui Deum fregisse fædus iactant, quo se Spiritum, ac Verbum suum, & legem, ac scientiam ab ore Sacerdotum in æternum non ablaturum promisit, qui Ecclesiam Dei sponsam, adulterium fecisse, multisq; iàm sæculis homines, vt non obedirent Veritati, fascinasse confidentissimè insimulant: qui vectigalia Dei, siue Ecclesiæ bona, ad victum eorum, qui Deo in templo die, ac nocte seruiunt, destinata sacrilegè rapiunt: qui domesticos Dei, Sacerdotes, ac Monachos, omnis generis contumelijs afficere, prorsusq; excarnificare, & interimere ludum iocumq; putant?

Conclusio primi membri suasoria ad Carolum V. Cæsarem.

Carolus iniuriam tam atrocem sibi factã nequaquam impunitam dimitteret.

Multo igitur magis iniuriã Deo factam punire debet.

CAP.

CAPVT V.

Alterum suasoria membrū de modo, ac modijs, quibus Carolus punire Hæreticos debeat.

Hæresis mater seditionum, ac bellorum.

SED quantum video, non tibi voluntas, Imperator, deest faciendi officium, tantum de modo, ac via coercendi istos Dei rebelles ambigis, ac propemodum, vt à nefarijs istorum armis Ecclesiam defendas, arma tibi induenda esse conijcis. Nam vt Spiritus sanctus hominum eiusmodi peruersa loquentium, & circa fidem naufragantium, nobis ingenium describit Prou. 22. *Arma, & gladij in via peruersi.* Quod ne quis minus verisimile iudicet, ipse Lutherus eius rationem sic reddit: *Falsa doctrina, & homicidium perpetuò simul esse volunt, & debent, sicut tota sacra scriptura, omnes historia, & quotidianus rerum vsus testantur. Diabolus enim hominem totum cupit interfectum. Animam quidem per mendacem doctrinam, corpus verò per cadem. Vbicunq; ergo prius facit,* (id est vbi hominibus persuadet, vt falsam Scripturæ interpretationem arripiant) *statim alterum similiter molitur.* Neq; verò ignorare Cæsar potes, quam se ipsum Lutherus idem ingenio insedato, & turbulento esse præ se tulerit, cum coram te in totius Imperij consessu VVormatiæ palam fateri nihil dubitauit: *nihil omnium rerum adspectu iucundius sibi posse accidere, quam si ex sua doctrina turba, ac dissidia oriantur.* Cuius rei causam hanc alicubi in libris suis reddit, quod commotio turbarum sit vnicum miraculum, ac validissimum documentum, ex quo de veritate doctrinæ suæ indicium fieri queat. Itaq; huiusmodi classico suos sectatores ad arma exacuit. *Doctrina mea debet vociferari, & cadere. Hic modo mihi nullam Deus det patientiam, aut mansuetudinem: Hic dico, Non, non, non, quamdiu venam mouere potero, vt etiam Cæsari, Regibus, Principibus, Diabolo, & cuicunq; ilia rumpantur.* Cum igitur huiusmodi sit Lutheri, ac Lutheranismi ratio, nihil alucinaris, Imperator, cū tibi ad Ecclesiæ defensionem armorum inducendorum necessitatem mox venturam suspicaris. Sed quoniam Rex prudens *iturus committere bellum sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Luc. 14. operæ precium feceris, si prius belli gerendi rationes subducas, deq; copijs quas in hostem ducas, consilium ineas. Caput autem omnis eiusmodi consultationis est, vt bellum non tuum, sed Dei esse cum animo tuo statuas, Deumq; causæ suæ nequaquam defuturum persuasissimum habeas, tametsi hostes, ac rebelles tui multum te viribus superent. Fides enim est, per quam omnibus ætatibus sancti Reges, ac Heroes, *deuicerunt Regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, Hebr. 11. Dauidi cum Gigante

Luthero nihil magis in votis quam turbæ, ac bella.

Tom. 1. Ger. Ien. in actis Comit fol. 444 & Tom. 9. VVit. fol. 109 b.

Imperator ad bellum aduersus hæreticos se comparare debet.

Quo potissimū auxilio niti Cæsar debeat.

Fide oportet hostes vincere.

congresso

congressô nulla res alia tribuit fortitudinem, & victoriam, quàm fides, siue firmissima persuasio illa, qua Deo gloriæ suæ diuinæ à Philistæorum impietate defendendæ, nec voluntatem, nec facultatem, siue vires deesse credidit. Philistæi enim si vincerent, futurum sciebat Dauid, vt gloria Dei non mediocriter minueretur, quippe qui tantas non habere vires videretur, vt populum suum ab hostium potestate, ac ditione vindicaret. At enim Deum *fortem æmulatorem esse* meminerat. (Ios. 24.) qui gloriam suam, & opinionem potentiæ alteri nequaquam tribui patiatur, eumq; omnipotentem esse nequaquam dubitauit. Cum itaq; hoc modo apud Philistæos argumentatus est, tum te similiter argumentari docuit: *Hostis ad me venit cum gladio, & hasta, & clypeo: Ego autem venio ad hostem inermis in nomine domini. Itaq; bellum hoc est ipsius Domini: ac propterea Dominus tradet hostem in manus meas, & sciet omnis terra, quia est Deus in Israel, noueritq; vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat dominus.* 1. Reg. 17. Tamquam diceret: Quicunq; gerit bellum Domini, siue qui cum hoste viribus suis inflato, congreditur in nomine Domini fidem habens in Dei omnipotentia, is certò vincet. Ego autem Domini bellum gero, quippe in quo gloria Dei agitur. Nam vincente, me constabit Deum esse in Israel, siue illum esse verum Deum, quem Israelitæ colunt: eundemq; omnipotentem esse, vt etiam inermi aduersus armatum Victoriam queat tribuere. Itaq; Victoriam exploratam, ac velut domi conditam habeo, tametsi armis, & viribus, quæ opinione hominum ad vincendum requiruntur, instructus non sum. *Non enim in arcu meo sperabo, neq; gladius meus saluabit me.* Psal. 43. Nimirum Deo ad tuendam nominis sui gloriam nihil armis, nihil viribus nostris opus est, atq; adeo nunquam magis quam *in* nostra *infirmitate virtus* eius *perficitur* (. 2. Cor 12.) quæ causa fuit cur Gedeoni aduersus Madianitas XXXII. millia militum educenti victoriam tribuere noluerit: *Multus* (inquit) *inquit est populus tecum, nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Israel, & dicat, meis viribus liberatus sum. In trecentis tantum viris liberabo vos, & tradam in manu tua centum triginta quinq; millia Madianitarum.* Iud. 7. & 8. Et quoniam Gedeon *in repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, & contra spem, in spem credidit, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunq; promisit Deus, potens est, & facere* (. quemadmodum de Abrahamo Paulus Rom. 4. loquitur, cuius fidem fides Gedeonis æquauit, velut Hæbr. 12 discimus.) Propterea Deus vicissim glorificauit illum, & Victoria illustrem reddidit. Perpetuò facit enim Deus, quod de se pollicetur, 1. Reg. 2. *Quicunq; glorificauerit me,*

Dauid Fide Gigantem vicit.

Quæ res Dauidi fidem suppeditarit.

Periculum gloria Dei.

Quicunq; gerit bellum Domini, vincit.

Bellum domini gerit quem vincere gloria Dei interest.

Dei gloria magis illustratur cum Media Victoria desunt.

Deus non vult Victoriam tribuere Gedeoni multos milites habenti.

Glorificantes, & sanctificantes Deum vicissim ab eo glorificantur. *Glorificat Deũ qui Medijs quidem humanis vtitur, sed in solo Deo confidit.* *glorificabo eum.* Et Isai. 8. *Timorem quem timet populus, ne timeatis, neq; paueatis* (à viribus hostium, quod ijs pares non sitis) *Dominum exercituum ipsum sanctificate, & erit vobis in sanctificationem.* Maximè verò Deum glorificat, aut sanctificat, siue Deo dat gloriam, qui plurimum ei credit, neq; vel minimum de omnipotentia eius dubitat: Sicut vicissim Deum ignominia afficit, qui nimium adiumentis humanis confidit, & cum illa desũt, bellum domini ex sententia confici posse minùs credit, tanquam Deus, siue collega, siue solus, satis virium non habeat, gloriam suam tuendi. *Qui cõfidit in Medijs humanis, Deo non dat gloriam.* Qui ergo fiduciam habet in prudentia, aut virtute, siue fortitudine sua, aut in Exercitus sui numero, armis atque viribus, aut etiã in loci oportunitate, is licet bellum Dei gerat, siue pro Dei gloria, veraq; religione pugnet, Deum tamen non sanctificat, siue non dat Deo gloriam, quia non credit in eum perfecto corde, neq; omnipotentiæ laudem ei tribuit, cum ei velut collegam, *Nam ei collegam velut adiungit.* Media nempe, & adiumenta humana adiungat, imbecillitatem eius quasi suppleturus: quę quidem res Deum fortem æmulatorem, qui gloriam suam cum quacunq; re creata communicari fert indignissimè, incredibile est, quam offendere soleat. *Moysis mediocris fides de potentia Dei.* Moyses, & Aaron iussi petram percutere virga, & aquam educere, quod de potentia Dei hæsitassent diffidentia, primo ictu nihil profecerunt, sed vt mox rursus omnipotentiæ diuinæ in mentem eis venit, pleni fide repetito ictu aquas largissimas eduxerunt. Itaq; eis iratus Deus hanc pœnam denunciauit: Num. 20. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non videbitis terram quam dabo eis.* *A Deo punitur* Et rursum: *Non intrabit Aaron in terram hanc, eò quod incredulus fuerit ori meo.* Et Num. 27. *Morieris tu* Moyses, *sicut frater tuus Aaron, quia offendistis me in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas contradictionis.* *Quia non sanctificauerat Deum priore ictu.* Et nihilo tamen minus Num. 20. legimus: *Hæc est aqua contradictionis vbi sanctificatus est dominus corã filijs Israel.* Nimirũ priore ictu Moyses Deũ non sanctificauit, siue non dedit gloriam Deo, quia nimirum hæsitauit in fide, neq; satis credidit, Dei virtute aquas de petra elici posse. Sed *Posteriore ictu Deum sanctificauit.* posteriore demum ictu sanctificatus fuit Deus, cum scilicet Moyses fidei suæ scintillas reconflauit, ac rursum accendit, siue, in fide se denuò confortauit, prioribus scilicet eius miraculis in memoriam sibi reuocatis: quam valdè efficacem resuscitandæ fidei rationem esse, posteriùs demonstrabo. *Vide infra cap. 15.*

CAP. VI.

Rex magnum Exercitum habens quomodo Deum glorificet.

Similiter Asa Rex Iuda quamuis quingenta octoginta millia fortissimorum militum, aduersus decies centena millia Aethiopum

pum in aciem educeret, Deum tamen glorificauit, siue sanctificauit, palàm confessus, se nihil prorsus spei in exercitus sui robore collocare, sed hac vnica niti fiducia, quòd cum Dei gloria eo bello ageretur (nam si vicissent Aethiopes, Deum Iudæorum præ suis Dijs, aut etiam præ se ipsis contempsissent, vt imbecillem.) plenissime sciret, Deo vindicandæ gloriæ suæ, nec voluntatem, neq; vires deesse, *Domine* (inquit 2. Par. 14.) *non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus, adiuua nos domine Deus noster. In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem, Domine Deus noster tu es, non praualeat contra te homo.* Quia igitur sic Deum glorificauit; Deus vicissim eum glorificare voluit, *rueruntq; Aetiopes vsq; ad internecionem, Domino cadente, ac terrente, exercitu autem illius praliante.* Sed posterius Deo gloriam suam non tribuit, cum aduersus Baasam Regẽ Israelitarum fœdus, cum Syriæ Rege inijt, eiusq; copias multo auro, & argento conductas in hostem immisit, quo verò euentu, sic 2. Par. 16. commemoratur. *Venit Propheta ad Asam regem & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in Rege Syria, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Syria Regis exercitus de manu tua* (quem alioquin Israelitis opem laturum, non minùs quam Israelitas deuicturus eras.) *Nonne Aethiopes multò plures erant: quos cum in domino credidisses, tradidit in manu tua? oculi enim domini contemplantur vniuersam terram, & prabent fortitudinẽ his, qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex prasenti tempore bella aduersum te consurgent.* Credibile est, Consiliarios huius regis multis argumentis bellum aduersus Israelitas dissuasisse, quod id scilicet neq; honestum, aut iustum, & magno quoque periculo coniunctum esset. Nam quod à veteri religione desciuerant Israelitæ, quod Sacerdotes Leuiticos eiecerant, & summum Pontificem contemnebant, ipsiq; Sacerdotes de infima plebis fęce sibi constituerant, atq; insuper occupata Rama Iudęæ ciuitate vires suas augere, & impietatem suam propagare conabantur, hoc consiliarij illi exiguum quiddã, nec regi veterem Religionem retinenti magnoperè vindicandum censebant: non aliter, quàm tibi, Carole Cæsar, Granuelanus hodie persuasum cupit, non satis iustam aduersus Protestantes belli causam te habere, quamuis illi ab auita religione turpiter defecerint, Sacerdotes ac Monachos, fidei, ac patrocinio tuo commissos vi eiecerint, Papam velut Antichristum execrentur, te ipsum, ac Catholicos omnes Antichristi mancipia, & bestiæ adoratores dicant, Prædicantes ipsi sibi constituant, Catholicorum Imperij ordinum prouincias occupent, itaq; numero suffragiorum in Comitijs Imperij paulatim Catholicis pares euadant, ac

Contemnendo suas vires, & in Deo solo fiduciam collocando.

Pœna Regis in Dei causa multum de auxilijs humanis soliciti.

Quibus Argumentis Asa Regi bellum aduersus Israelitas dissuasum videatur.
1. causam non esse satis iustã.

nisi quicquid ipsis libet, à te impetrét, omnia tua postulata, quamuis æquissima, & conseruandæ reipublicæ necessaria calumnientur, & impediant. Deinde autem *periculosa plenum opus aleæ* futurum censebant, aduersus Israëlitas, Hæreticos illos quidem, & veteris fidei desertores, consanguineos tamen, & cum Iudæorum non paucis affinitate coniunctos, adhæc numero copiarum, armis, atq; viribus multò Iudæis superiores, & Syrorum socios, ac fæderatos prælio decernere, omninoq; satius esse, vnam Iudeæ ciuitatem Israelitis permittere, quàm perdendi vniuersi regni periculum adire. Nam vt Rex viribus hoste inferior, Dei tamen auxilio fretus, bellum ineat, minimè se ipsi auctores esse: Deum quippe non semper miracula facere, & hoc quidem tempore nihil præcepisse, neq; opis Regi quicquam promisisse: Itaq; spe, ac fiducia auxilij diuini armis in hostem multò valentiorem experiri, nihil aliud esse, quam tentare Deum: qua quidem re pio Regi nihil magis cauendum videri. Sed Rex Asa medium ferire cupiens, vt neq; ad extraordinariam Dei opem confugeret, Deumq; in hostem pollentiorem mouendo tentaret, neq; Israelitas Ramæ arcem excitare, totiq; Iudeæ iugum velut imponere fineret, Regem Syriæ prece, ac precio ad violandum, quod cum Israelitis habebat fædus, eorumq; ciuitates occupandas perpellere pro re nata optimum iudicauit. Quam verò stolidum eius consilium fuerit, paulò prius ex Propheta audiuimus. Qui enim Deo fretus non tantum Israelitas, sed etiam confæderatos, & auxiliarios eorum Syros, bello subacturus, cæterisq, populis vicinis omnibus, ne se commouere auderent, terrori futurus erat (. id quod Iosaphato posterius contigisse. 2. Paral. 20. 29 discimus.) is auxilio diuino patum confisus, & ad artes conuersus, nihil aliud lucri fecit, quàm quod pro Syrorum domino eorum socius, & particeps factus, à cæteris contemni cæpit, vt ei bellum facere nihil metuerent, quippe quem nequaquam diuinitùs adiuuari, adeòq; astutia se tueri, *bellumq; cauponari* potiùs quàm *belligerari* intelligerent.

2. Vere bellũ nimis periculosum ob hostiam vires.

3. Deum non semper miracula facere.

Regis Asa prudentia facul. siue carnis.

Lutrum quod Asa fecit ex sua prudentia

CAPVT VII.

ES T autem animaduersione dignissimum, quomodo à Prophetâ eorum refellatur ratio, qui propterea, quod Deus nihil neq; de bello aduersus Israelitas suscipiendo præcepisset, neq; victoriæ spem Iudæis fecisset, nequaquam Asæ Regi auxilij diuini fiducia faciendum censebant, vt hosti viribus superiori copias suas opponeret, ac periculi accersiti, Deiq, tentati pœnas tandem luere

Vtrum Asa sine mandato Dei debuerit miraculosam victoriam sibi polliceri.

luere mereretur: *Nonne* (.inquit Propheta omnibus Granuelanis contradicens.) *Aethiopes multò plures erant, quadrigis & equitibus & multitudine nimia, quos, cum in domino credidisses, tradidit in manu tua? oculi enim domini contemplantur vniuersam terram, & prabent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.* Quasi dicat: quid opus erat, vt Dei perspicuum mandatum haberes, tibiq; victoriæ spes fieret, cùm iam experimento facto cognouisses, Regem, qui suum facit officium, id est, qui populos à Deo sibi commissos ab hoste tuetur (.hoc enim ad officiũ eius pertinet.) solius de Dei omnipotentia Fidei merito victoria potiri? non mandauerat tibi dominus, vt cum decies centenis Aethiopum millibus prælium committeres, nihilo tamen non minus in solo Deo fiduciam habens id fecisti, & admirandam Deo tribuente victoriã reportasti. Ac ne forsan dicas, vna Hirundine ver non fieri, *interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam:* & inuenies à sæculo non esse auditũ, vt quis faciendo, quod sui est officij, itaq; Dei voluntati parendo, Deum adiutorẽ non habeat, modò corde perfecto in eum credat, siue omnem in Dei omnipotentia fiduciam collocet. Hæc eadem tibi, Carole Cæsar, dicta puta, cùmq; quid officij tui ratio à te requirat, iam didiceris, noli committere, vt istis, qui Deum iam miracula non facere dictitant, tibiq; incredulitatis auctores sunt, aures præbeas: aut iube, vt te doceant, quando Deus miracula facere desierit, hoc est, quando gloriam suam tueri, aut noluerit, aut non potuerit. Ipsum quidem de se sic profitentem audimus. Malach. 3. *Ego dominus, & non mutor.* Ad quem Propheta Psal. 101. *Cæli* (inquit) *mutabuntur, tu autem idem ipse es, & permanes.* Iam verò testatur ipse Deus. Isai. 48. se gloriæ suæ tam amantem esse, vt propter illam peccata populi sui etiam atrocissima punire differat. *Scio quia prauaricans prauaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. Tamen propter nomen meum, longe faciam furorem meum, & laude mea infrenabo te, ne intereas. Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriã meam alteri non dabo.* Atq; hanc ob causam contigisse apparet, vt etiam illis, *qui iurabant in nomine domini, sed non in veritate, neq; in iustitia*, tantùm quia *vocarentur nomine Israel* (sicut eodẽ Isaiæ loco legimus.) siue, quia pro populo domini haberentur, miraculosas victorias tribuerit, quòd alioquin gloriam suam ad alienos Deos translatum, seq; non satis potentem visum iri sciret. Sic 2. Paral. 13. *Corruerunt ex Ieroboam exercitu quingenta millia, & vehementissime confortati sunt victores Iudai, eo quòd sperassent in domino Deo patrũ suorum.* Et tamen Iudæi nõ multo Israelitis meliores erant, quippe qui varia Idola etiam Priapum colerent

Propheta ait, debuisse.

Faciens enim officium suum rectè in Dei auxilio confidit.

Verum ne sit, quod Deus hodie non faciat miracula.

Deus nunquã mutatur.

Deus propter gloriam suam populum suum quamuis meritum non punit.

Ne gloria, siue potentia sua opinio minuatur.

Iudæi Israelitas miraculosè vincunt. Nõ quia hostibus meliores.

colerent,& effeminatos, siue meritorios pueros, palam tolerarent, velut 3. Reg. 15.12. discimus. Sed quoniam ante conflictum audientibus Israelitis contestati fuerant, se in pugnandi necessitate constitutos, neq; sui periculi auctores, omnem fiduciam, non in Idolis suis, siue in noua religione, *sed in Deo patrum suorum*, & in præsentia Sacerdotum eius collocatam habere, vt bellum iam nō ipsorum, sed domini esset, perfecerunt. nam si victi succubuissent, aduersus Deum, & Sacerdotes eius gloriati fuissent Israelitę, quasi scilicet non is esset Deus, quem Sacerdotes Leuitici Hierosolymę colebant, quippe qui Iudæos in ipso confisos nihil iuuare potuerit, quasiq; ipsi adorandis vitulis aureis, & eiectis Sacerdotibus Leuiticis nihil peccassent: qua ex re quoniā gloriam Dei non parum minui necesse erat, omnino sibi præstandū belli exitum Deus iudicauit, & Iudæis opem tulit, ne frustra in ipso fiduciam habuissent, pœnā quam suis peccatis meruerant, in aliud tempus dilata.

Sed quia in veteri religione, ac sacerdotū præsentia confidunt.

Similiter Achabo Regi impio, & Idololatræ aduersus ingentem Syriæ Regis exercitum victoriam tribuit, vt à septem millibus Israelitarum, centum millia Syrorum interficerentur, non aliam ob caussam, nisi quia gloriæ diuinæ sic fieri intererat. Dixerant enim Syri, Deum Israelitarum non satis virium habere, æquè suos in vallibus, & campestribus, quam in montibus, tuendi: in eaq; opinione cum ipsi, tum alij confirmati fuissent, nisi etiam in valle Israelitas Deus victores præstitisset. 3. Reg. 20. Eodem modo Regi Iosaphato, & populo eius victoria diuinitùs obtigit, non quia ipsi, non grauissimis peccatis iram Dei meruissent (velut de Rege. 2. Par. 19. 2. & de populo 2. Par. 20. 33. legimus.) sed quia fecerant, vt bellum illud Dei esset, non ipsorum, hoc est, vt ab hoste vinci non possent, nisi gloria Dei simul minueretur. *Rex enim Totum se contulerat ad rogandum Dominum, ieiuniumq; in vniuersa Iuda prædicauerat, vt omnis populus similiter cum paruulis vxoribus, liberisq; suis in templo congregatus Deum precibus, & laudibus placare* sibi studuerat, Rege totius regni nomine palam profitente, se viribus hosti longè imparem, in Deo patrum suorum omnem fiduciam habere, quem & posse victoriam largiri persuasissimum haberet (*Tu inquit es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium: in manu tua est fortitudo, & potentia, nec quisquam tibi potest resistere.*) & velle quoq; populo suo opem ferre minimè desperaret, non modo propter exploratam causæ iustitiā, sed etiam quia Deus sic facturum se, quoties in templo inuocaretur, promisisset. Itaq; vtrouis modo propter gloriam suam Deus, ipsos, quamuis grauissima alioquin supplicia commeritos, eo bello iuuare necesse habuit, siue, ne pacti oblitus videretur, siue, vt vires ad tuendos, qui in se sperarent, habere se ostenderet. Atq; hoc

Achab Rex impius miraculosè à Deo iuuatur:

Quia gloria Dei id postulabat.

Quomodo Iosaphat fecerit vt bellum, non suum, sed Dei esset.

hoc modo bellum non tam ad Iudæos, quam ad ipsum Deum pertinere cæpit, quod maior ipsius scilicet quam cuiusquam in eo res ageretur: ac propterea nihil erat, cur Iudæi de victoria quicquã dubitarent, aut de ratione instituendi prælij solicitè consulerent, quod quidem Propheta Dei instinctu, statim monuit: *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei: non eritis vos qui dimicabitis: sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.*

CAPVT VIII.

Nimirum qui sibi neq; manus, neq; arma expedienti, sed tantum stanti victoriam nihilominus à Deo tribui posse credit, maxima gloria Deum afficit, ac velut sibi parere COGIT, quemadmodum Iosu. 10. legimus, quòd *Deus obedierit voci hominis, cum solem ad Iosua imperium spatio vnius diei stare fecit.* Nam Iosue quod à Deo victoriam ex hostibus, hac exceptione, siue lege sibi promissam meminisset, *vt ne infirmaretur fide, nec in repromissione Dei hæsitaret diffidentia, sed confirmaretur in fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quod quæcunq; promisit, potens est & facere* (. sic enim à Deo compellatus fuerat Iof. 1. *Confortare, & esto robustus valde, Ecce præcipio tibi confortare, & esto robustus. Noli metuere, quoniam tecum est dominus in omnibus, ad quæcunq; perrexeris.*) cum vna die hostes penitùs deleri non posse iudicaret, omnipotentiæ diuinæ nihil difficile ratus, coram omni populo soli, vt staret, præcepit: Et Deus, ne ingratus videretur erga Iosuam, à quo tanta gloria affectus fuerat, præcepto eius naturæ ordinem subiecit: quemadmodum etiam Christus Fidem habenti montes obtemperaturos, eiusq; iussu in mare translatum iri, nihil deniq; impossibile futurum affirmat. Matth. 17. Luc. 17. & Mar. 9. quia nempe tantum potest Deus, quantũ credimus, quemadmodum etiam incredibilitas nostra, vires eius debilitat, eumq; velut impotentem reddit, cuius rei in Christo exemplum habemus Mar. 6. & Matth. 13. Nam in patria sua non poterat vllum insigne miraculum facere, propter incredulitatem popularium suorum. Non enim poterat, quod nolebat. Atqui nolebat eos honorare faciendis miraculis, qui ipsum non honorarent, neq; omnipotentem Deum esse, saltem propter signa, quæ iam vidissent crederent. *Non est*, inquit, *Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Quasi dicat, quia nouerunt matrem meam, & consanguineos meos, propterea me contemnunt, neq; animum inducere queunt, etiamsi multa prius signa humanis viribus maiora

Magna fides hominis Deũ quasi cogit.

Deus obedivit voci Iosua.

Ne videretur erga eum ingratus.

Credenti nihil est impossibile.

Deus non potest miracula facere propter hominum incredulitatem.

iora à me patrata sciunt, vt me omnia posse credant. Itaq; nolebaris, & insignibus eos beneficijs afficere. Sed Cananæa illa mulier Matth. 15. itemq; Centurio Matth. 8. fidei suæ magnitudine, quã de omnipotentia Christi habebant, coegerunt eum, vt quicquid ipsi vellent, faceret. Cum enim vsq; eò gloriam suam amet Deus, vt quicquid facit, eò referat, (. Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatur Dominus, etiam impium ad diem malum*) propterea glorificantes se glorificat (1. Reg. 2.) neq; fidem eorum, à quibus omnipotens creditur, destituit. Hinc verba illa: *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Tantam fidem in Israel non inueni: Itaq, sicut credidisti fiat tibi. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Noli timere, etiamsi mortua fuerit filia tua: tantummodo crede, & reuiuiscet*. Nunc Dei morẽ, & ingeniũ cũ haud ignoraret Iosaphat, nihil arma, nihil milites ad superandos hostes requisiuit, sed in sola fide populi sui victoriam consistere iudicauit. *Audite me viri Iuda* (inquit) *credite in Domino Deo vestro, & securi eritis, credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera*. Erat omninò bellum illud Dei ipsius, non Iudæorum, velut paulò priùs didicimus: nihilominus non poterat, siue, non volebat Deus hostes cædere, nisi id facere eum posse Iudæi crederent: Ipsi autem multò plures honorandi Dei, & omnipotentiæ laudem eidem confessione sua tribuendi causas habebant, quam quiuis alius populus: quippe qui se populum eius peculiarem esse gloriarentur, plurimaq; eius miranda facta, cum vidissent ipsi, tum à maioribus accepissent. Itaq; si iam ipsi parum in Dei omnipotentia confiderent, certè excusationem hostes eorum haberent, qui quod Deum parùm nossent, suis copijs ab eo resisti posse minimè credebant: Et Deus multo iustiores grauioresq; Iudæis succensendi, & imminutionem gloriæ suæ vlciscendi causas haberet, bellum quidem certè non Dei esset, sed Iudæorum. Tunc enim Dei est bellum, cùm altera pars, tametsi causa eius iusta sit, neq; ipsa periculo se obtulerit, omnem in Deo tanquam omnipotente fiduciam collocat, vt ea superata periculum fit, ne Deus nõ omnipotens esse videatur. Cum autem neutra pars eam in Deum fidem habet, sed suis siuè viribus, siuè artibus nititur, neq; iam vtra vincat, gloriæ diuinæ quicquam interest, bellum non Dei, sed hominum esse rectè dicitur, etiamsi pro tuenda Religione Deiq; gloria susceptum fuerit: quid enim prodest eam colendi rationẽ, quam ipsi probari credo, armis tueri, si vel Deo non satis virium esse credo suum honorem tuendi, nisi meis consilijs, aut viribus adiuuetur (. quod est gloriam Dei cum re creata communicare, aliumq; Deum præter ipsum colere, & quemadmodum Psal. 43. scriptum est, *manus ad Deum alienum extendere*, siue ipsum Religionis

Deus omnia facit propter suam gloriã.

Qui ergo glorificat eum per magnam fidẽ, omnia ab eo impetrat.

Iosaphat ad vincendos hostes nihil nisi fidem populi sui requirit.

Quando bellũ sit Dei, quãdo hominum tantùm inter ipsos.

ligionis totius fundamentum facto ipso euertere.) vel in me ipso satis ad reportandam victoriam præsidij esse confido, neq; Deo gloriæ suæ miraculosè defendendæ occasionem relinquo? Vterq; enim Deum grauiter offendit, & qui satis potentem non credit Deum ad tribuendam victoriam, & qui quamcunq; rem aliam præter Deum, ad conficiendam victoriam satis capacem esse persuasum habet, & siue in sua rei militaris peritia, siue in milite suo, siue in auxilijs amicorum, siue in loci oportunitate, seu quacumq; demum in re confidit. Nam Victoria est à solo Deo. Psal. 117. *Dextera domini facit virtutem* Prou. 21. *Eq uus quidem paratur ad diem belli: Dominus autem salutem* siue victoriam *tribuit:* Zach. 4. *Non in exercitu neq; in robore, sed in spiritu meo dicit dominus.* 2. Paral. 25. *Si putas in robore exercitus bella consistere superari te faciet Deus. Dei quippe est, & adiuuare, & in fugam conuertere.* Ergo ex re creata facit Deum, qui ab ea victoriam exspectat *Ita dum vitant stulti vitia in contraria currunt,* hoc est, dum verentur tentare Deum, extraordinariam ab eo opem, siue miracula expectando, aut omnipotentiam eius negant, hoc est, in Deum omnino non credunt, (. nam credere in Deum, qui non sit omnipotens, est nihil omninò credere.) aut honorem Deo soli debitum, cum alijs rebus communicant, eiq; velut collegam adiungunt, quod faciunt illi, *qui putant aurum robur suum, & obrizo dixerunt, Fiducia mea; quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum* (Iob. 31.) siue est peccatum contra decalogi præceptum, quo cauetur: *Non habebis Deos alienos coram me; Ego enim sum dominus Deus tuus, fortis zelotes*, id est, sum Deus, qui ferre non possum, gloriam meam cum quacunq; re alia communicari. Itaq; quamuis reliquæ Iudaici populi tribus (Iudic. 20.) iustissimam belli aduersus Beniamitas causam haberent, quamuis etiam Dei iussu, & auctoritate bellum suscepissent, bis nihilominus ingenti clade affectæ fuerunt, nullam aliam ob causam, nisi quia Dei gloriam cum rebus creatis communicabant, hoc est, quia fortitudine, & numero copiarum suarum confidebant, nec vllo modo fieri posse existimabant, vt cum ipsi quadringenta millia militum fortissimorum in exercitu suo numerarent, à Beniamitis, qui numerum XXVI. millium non excederent, superarentur. Sic Isai. 30. tanquam de maxima contumelia Deus cum Iudæis exspostulat, & pœnam eis comminatur, quòd in auxilijs Aegyptiorum aduersus Assyrios spem ponerent. *Va filij desertores, vt faceretis consilium* (resistendi Assyrijs.) *& non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum* (vt aliter, quam mea potentia defensum vos iri crederetis.) *vt adderetis peccatũ super peccatum: qui ambulatis, vt descendatis in Aegyptum sperantes*

Victoria est à solo Deo, non à medijs humanis.

Idololatra est qui in medijs humanis confidit.

Iudæi in bello iusto, Dei causa suscepto, & viribus longè superiores vincuntur.

Quia in viribus fuit fiduciam habebant.

Deus non vult populũ suum ad infidelium auxilia confugere.

rantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra, siue protectione *Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem. Omnes confundentur super populo, qui eis prodesse non potuit, non fuerunt in auxilium, & in aliquam utilitatem, sed in confusionem, & in opprobrium.* Et Isai. 31. *Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia prævalidi nimis: Et non sunt confisi super sanctum Israel, & & dominum non requisiuerunt. Ipse autem consurget contra domum pessimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. Aegyptus homo, & non Deus: & equi eorum caro, & non spiritus: Et dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet, cui præstatur; auxilium, simulq; omnes consumentur.* Similiter Ezech. 29. Pharaoni propterea malum comminatur, quia is Dei æmulum se faciat, in eoq; Iudæi fiduciam habeant, velut etiã ipse Deus sit: *Ecce ego ad te Pharao, Rex Aegypti, qui dicis: meus est fluuius* (siue regnum) *& ego feci memetipsum*, siue neminem superiorem, ne Deum quidem agnosco. *Bestijs terræ dabo te ad deuorandum: & scient omnes habitatores Aegypti, quia ego sum dominus.* (super quo inniti populus meus debebat, non tu) *pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel, Innitentibus eis super te, comminutus es. Imminuam Aegyptios, ne imperent gentibus: neq; vltra erunt domus Israel in confidentia, docentes iniquitatem, vt fugiant, & sequantur eos: & scient, quia ego solus sum Dominus Deus.*

Sed vult vt in suo auxilio confidant.

CAP. IX.

Iudæi dicebãt se nolle Deum tentare extraordinarium ex ab eo auxiliũ exspectando.

EST autem obseruatione dignum, Iudæos istos, cum à Prophetis monerentur, ne ab Aegyptijs, aut Assyrijs aduersus hostes suos, opem peterent, sed Deum sanctificarent, aut glorificarent, hoc est, in omnipotentia eius confiderent, sic respondere solitos fuisse: Deum iam non facere miracula, & extraordinarium siue miraculosum ab eo auxilium aduersus hostes viribus superiores exspectare, non esse aliud, quam tentare Deum: Itaq; satius esse ijs adiumentis, siue instrumentis, ad se defendendum vti, quę ad manum haberent. Isai. 59. *Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat* (quemadmodum vos iactatis) *neq, aggrauata est auris eius, vt non exaudiat*, quasi dicat: vos Iudæi falsò persuasum habetis, vobis propterea tot, tamq; ingentes calamitates vsq; incumbere, quòd Deus miracula facere desierit, siue quòd iam vestri causa miraculosè hostes profligare, aut nequeat,

aut

aut nolle. Fateri sane oportet, vos nunquam vno tempore tot mala simul, atq; nunc Rege Achaz sustinuisse. Nam Syriæ Rex Rasin magnam è Iuda prædam abegit, Phaceas Rex Israel CXX. millia Iudæorum, virorum bellatorum, in die vno occidit, & ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, cum infinita præda Samariam abduxit. Idumæi similiter multos ex Iuda percusserunt, & ceperunt prædam magnam. Philistæi quoq; complures vrbes vestras suæ ditioni subiecerunt: neq; vllam Deus vobis opem fert. (2. Paral. 28.) sed non eo id fit, quod aut manum nunc breuiorem habeat, quam olim, cum manu extenta, siue prodigiosa potentia vestros maiores defendit: aut surdaster factus fuerit, siue voluntatem iuuandi, tuendiq; populi sui in perpetuum amiserit. Vera autem rei causa est, quia *iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*, siue alienarunt eius voluntatem à vobis, *& peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret*, in primis quod *auersi estis, ne eatis post tergum Dei vestri*, sed *confiditis in nihili*, siue in his calamitatibus vestris, quas Deus propter peccata vestra, vt ijs admoniti vitam emendetis, immittit nequaquam ad Dei opem confugitis, sed Assyrios, aut Aegyptios ad ferendas vobis suppetias aduocatis. Isai. 30. *Si quiescatis, salui eritis. In silentio, & in spe erit fortitudo vestra* (victoriam vobis tribuam, si non confugeritis ad opem Aegyptiorum, sed in me credideritis.) *& dixistis nequaquam: sed ad equos* Aegyptiorum *fugiemus*. Quoniam ergo in medijs ordinarijs omnem fiduciam collocatis, & miraculosum meum auxilium aspernamini, mihiq; incredulitate vestra, occasionem manifestandæ gloriæ meæ velut præripitis, propterea ab hostibus vincemini. *Mille homines à facie terroris vnius fugient.* 2. Paral. 28. *Humiliauit dominus Iudā, propter Regem Achaz, eò quòd Rex ille nudasset Iudam auxilio, dum contemptui habuit dominum* à Rege Assyriorum postulans auxilium. *Adduxitq; dominus contra Iudam Regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastauit. Igitur Achaz spoliata domo domini, & Regum, ac Principum dedit Regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.* 4. Reg. 16. *Ascendit Rex Syriæ, & Rex Israel in Ierusalem ad præliandum, cumq; obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. Misit autem Achaz nuncios ad Regem Assyriorum dicens: Seruus tuus, & filius tuus ego sum: adscende, & saluum me fac de manu Regum, qui consurrexerunt aduersum me. Et cum collegisset quicquid auri inueniri poterat in domo Domini, & in thesauris Regis, misit Regi Assyriorum munera, qui & acquieuit voluntati eius. Adscendit enim in Damascum, & vastauit eam, & Regem Syriæ interfecit. Isai. 7. Nunciatum est domui Dauid, siue Aula regia, quod fœdus fecisset*

Iudaicus populus, sub Rege Achaz calamitosissimus

Non quia Deus opem ei ferre, aut nollet, aut non posset

Sed quia ipsi ab Assyrijs & Aegyptijs opē petebant.

Rex Syriæ, cum Rege Israel contra Iudam dicentes; Adscendamus ad Iudam, & auellamus eum ad nos, & ponamus Regem in medio eius filium Tabeel. Et commotum est cor Achaz, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti: Et dixit Dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz, & dices ad eum: vide vt sileas, seu securo animo quiescas: *noli timere, & cor tuum ne formidet a duobus istis regibus, eò quòd consilium inierunt contra te in malum. Hæc dicit dominus: non stabit, & non erit istud* (vt ipsi scilicet regnum tuum sibi subijciant, & inter ipsos partiantur.) *sed mox Rasin desinet esse Rex Syriæ, & Phaceas Rex Israel. Si non credideritis, non permanebitis*, id est, si non in me fiduciam habueritis, sed ad auxilium humanum confugeritis, etiam vos ex regno vestro eijciam. *Et adiecit dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi signum à Domino in profundum, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz: non petam, & non tentabo dominum.* quasi dicat Achaz: nihil opus est, me Deo necessitatem faciendi miraculi imponere, eoq; modo vires eius periclitari, ac velut earum experimentum capere velle, cum in promptu habeam ordinarium hostes repellendi Medium: habeo nempe auri, & argēti affatim, neq, parum est, quod Sacerdotes ex Ecclesiæ thesauris, itemq; Principes mei de suo conferre possunt. Mittam ergo munera Regi Assyriæ, vt copijs suis in Syriam, & regnum Israeliticum immissis, duos hosce reges ab Hierosolyma auertat, & domum redire cogat. Neq; verò Rex tantùm, sed omnis etiam Iudæ populus, legatione missa fœdus cum Assyriorum rege faciendum, censebat, passimq; nihil nisi fœdus sermonibus celebrabatur, tametsi prophetæ omni vi, vt in Dei auxilio confiderent, & eiusmodi cum infidelibus conspirationes missas facerent, auctores erant, velut Isai. 8. leginius: *Congregamini* aduersus nos Israelitæ, & Syriæ populi, *& vincemini, & audite vniuersæ procul terræ* (quasi dicat: etiamsi non Syri tantùm, & Israelitæ, sed etiam vniuersus orbis terræ nos oppugnat.) *confortamini & vincemini: accingite vos, & vincemini, inite consilium,* siue fœdus aduersum nos, *& dissipabitur: loquimini verbum,* quo vobis victoriam gratulemini, *& non fiet, quia nobiscum Deus,* quo nos nitimur, eiusq, potenti dextra freti, tuendi nostri causa fœdus cum alijs facere nolumus. *Hæc enim ait Dominus ad me, sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius* (docuit me confortari in fide, neq; perinde ac Rex Achaz, eiusq; populus ad humana Media confugere) *dicens: Non dicatis coniuratio: omnia enim quæ loquitur populus iste, coniuratio est*, (nihil aliud in ore habet populus quam fœdus cum Assyrijs: sed Deus non vult eius fœderis mentionem fieri.) *Et timorem populi huius ne timeatis, neq; paueatis* (nolite hostium vires

Deus Iudæis offert miraculosum auxilium.

Sed id Rex Achaz repudiat.

Et ordinarijs medijs vti mauult.

Iudæi nihil nisi fœdus cum Assyrijs in ore habebant.

Deus vetat cū infidelibus fœdus fieri.

vires timere, ficut facit populus, qui Deum non glorificat, vt in ipsum credat, eiusq; potentia se defendi posse existimet,) *Dominum exercituum ipsum sanctificate, & erit vobis in sanctificationem. Glorificat enim glorificantes se* (1. Reg. 2.) *& prabet fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum*. 2 Par. 16.

In se confidentibus extraordinarium auxilium promittit.

CAP. X.

ATQ. ex isto etiam Exemplo perspicuum est, Deum suæ gloriæ causa, etiam impijs, ac sceleratis hanc gratiam facere, vt miracula exhibeat, modo ipsi sua incredulitate, eum non impediant. Deus enim velut supra commemoraui, perpetuò *idem ipse est*, neq; vnquam gloriam suam alteri tribuit, semper quoq; vires ei tuendæ necessarias habet. Itaq; non est Imperator, quod verearis, ne quia tu peccatis indignum te factum putas, cui extraordinariam Deus aduersus Hæreticos rebelles opem ferat, propterea ab alijs Hæreticis iuuari quæras, eosq; in societatem belli adsciscas. Excepta enim incredulitate, siue virium diuinarum diffidentia, nullum peccatum est tantum, non homicidium, non adulterium, non Idololatria, non deniq; Hæresis, vt Deus suæ gloriæ tuendæ propterea desit, quem nobis sacræ literæ eo ingenio describunt, vt in atrocissimis quoq; peccatis eorum, qui honori diuino impensè student, conniueat. Dauid quidem adulter erat, & Vriam virum fortitudine animi, pietate in Deum, & fide erga Regem nemini secundum nefariè interfecerat. Et tamen de illo 3. Reg. 15. scriptum est: *Cor Abia Regis non erat perfectum cum domino Deo suo, sicut cor David, qui fecit rectum in oculis Domini, & non declinauit ab omnibus, qua praceperat ei, cunctis diebus vita sua excepto sermone Vria*. Et passim in scripturis, velut summa, seu perfectio, & tanquam Idæa optimi Regis, exempli causa commendatur, non aliam ob causam, nisi quia quæcunq; ad conseruandam, & propagandam Dei gloriam, veramq; religionem pertinerent, summo semper studio persecutus fuit, omniq; corruptelæ eorum, qui *faciendis infinitis libris iniquitatem*, seu falsam doctrinam *operabantur*, & (quod ex Ecclesiastæ cap. 12. colligere licet.) à summi Sacerdotis obedientia alios abducere satagebant, hostem acerrimum se præbuit. Psal. 25. *Domine* (inquit.) *dilexi decorem domus tua, & locum habitationis gloria tua. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedeo*. Psal. 138. *Nonne qui oderunt te Domine,*

Deus propter gloriam suam etiam impijs auxiliatur.

Carolus Cæsar propter peccata sua non debet de auxilio diuino diffidere.

Dauidi Deus atrocissimum peccatum ignoscit.

Eumq; velut exemplar, & effigiem perfecti Regis commendat.

Propter maximum eius vera religionis Zelum, & Hæreticorum odium

odera*m*

oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Psal. 100. *Facientes prauaricationem*, siue qui, alios à vera Dei colendi ratione auertunt *odiui.* *In matutino*, siue statim *interficiebam omnes peccatores terra* (illusores, & inobedientes, *qui peccare homines faciunt in verbo.* Isaie 29.) *vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* quemadmodum Deut. 17. præceperat dominus, *interfici*, scilicet *ex decreto Iudicis, eum, qui nollet obedire Sacerdotis imperio*, neq; legis verum sensum ab eo discere, *vt cunctus populus timeat, & nullus deinceps intumescat superbia.* Nihil autem falso Dauidem verbis istis de se prædicasse, sacra historia luculentè testatur. Nam 1. Paral. 13. simul ac regno inauguratus fuit, consilium inijt Arcæ fœderis Hierosolymam accersendæ: quæ dum maxima cæremonia reportatur, ipse Dauid Regis habitu deposito, Ephod lineo indutus palam coram omni populo, *subsiliit, & totis viribus saltauit ante dominum*, ac mox ab vxore, quòd maiestatis regiæ decus parum custodisset, sic acerbè dictis acceptus. *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris*: velut pium regem decuit respondit: *Viuit Dominus, quia ludam ante dominum, qui elegit me ducem populi huius potius, quam Patrem suum: & vilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* 2. Reg. 6. Neq; multò post indignum ratus *se habitare in domo cedrina, arcam autem fœderis domini esse sub pellibus* Templum Deo, & Arcæ magnificentissimum ædificare constituit, & postquam eam rem Salomoni reseruari didicit, *descriptionem porticus, & Templi, & omnis, quod cogitauerat ædificij, vna cum impensis, quas præparauerat*, filio tradidit. 1. Paral. 28. & 29. Sed nihil est, quo maiorem Deo gloriam dederit, quam omnem in ipso fiduciam collocando, aliosq; ad idem faciendum, cùm exemplo, tum crebertimis monitis extitando. Quamuis enim propter peccata sua, non se iudicaret dignum, cuius causa Deus signa, seu miracula faceret, & extraordinarium sibi auxilium ferret, nihilominus quia sciebat, gloriæ diuinæ plurimum interesse non destitui, siue confundi eos, qui præter ius fasq; oppugnati, & in periculo nulla sua temeritate cõstituti, in solo Deo nitũtur, neq; de ordinarijs sui defendendi Medijs, ac rationibus multum laborauit; & quamuis ea in promptu haberet (sicut Triginta heroas prodigiosis viribus pollentes, & fortasse non multò minus bis mille millibus, siue binis millionibus bellatorum habuisse eum legimus, 1. Paral. 11. & 21. nequaquam tamen *ad ea cor apposuit*, siue nihil in ijs ad conficiendam Victoriam momenti esse credidit: Sed in domino

Dauid nouatores in religione statim interficiebat.

Specimina pietatis Dauidicæ

Dauidis magna fides.

Dauid parum inhumanis medijs confisus fuit.

domino ſperauit, hoc eſt expetijt, ac deſiderauit Deum facere, quod eum poſſe, ac velle credebat, tantumq; abſuit à metu tentandi Deum, vt ſigna, ſeu miracula ſecum fieri ſubinde precaretur, quippe quibus Dei gloriam multò illuſtriorem fieri, & aliorum inde pietatem magis accendi intelligebat Pſal. 61. *Precium meum cogitauerunt repellere*, ſiue regno me exuere. *Sed ſpes mea in Deo eſt. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra. Deus adiutor noſter. Sed vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum* (.homines qui mutuo auxilio nituntur, ad ſe tuendos, inter ſe fruſtantur, ac decipiunt) *nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere* (vt nimirum medijs humanis ad veſtri defenſionem nitamini, quę ſunt iniquitas, & rapina, quando Deo æxequantur, quod fit, cum creduntur aliquid poſſe, ex quo *Auarus* ab Apoſtolo *Idololatra* dicitur. Solus Chriſtus *rapinam* non arbitratur eſſe ſe æqualem Deo. Phil. 2. Siue ſolum Chriſtum Deo æqualem credimus ſine iniuria honoris diuini.) *diuitiæ ſi affluant* (ſimiliter arma, ac viri) *nolite cor apponere. Semel locutus Deus* (mecum per reuelationem) *duo hæc audiui; quia poteſtas eſt Dei, & tibi Domine miſericordia*, id eſt cauſa, cur etiam in bona cauſa, ſiue aduerſus vim iniuſtam me defendens, non ſim magnopere de Medijs humanis ſolicitus, & cur ſi ea adſint, nihilo plus gaudeam, hæc eſt, quia didici Deum eſſe potentem, & miſericordem, ſiue habere facultatem, & voluntatem conſeruandæ, nec alteri dandæ gloriæ ſuæ, ſiue miraculosè ſeruandi eos, qui in ipſo ſperant. Pſal. 85. *Reſpice in me domine, da imperium tuum puero tuo, & ſaluum me fac. Fac mecum ſignum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam adiuuiſti me.* Pſal. 145. *Nolite confidere in Principibus, nec in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus* (quaſi dicat: Victoriam non confici multitudine, & robore copiarum.) *Beatus, cuius adiutor Deus, ſpes eius in Domino Deo ipſius.* Pſal. 146. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, ſiue habere ſolet *dominus, nec in tibijs viri beneplacitum eſt ei* (id eſt, non iuuat, ſed auerſatur eos, qui equitum, ac peditũ robore nituntur, eosq; Deo velut collegas adiungunt, quibus iuuantibus vincat.) *beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Pſal. 17. *In te Deus eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. quis Deus præter dominum? qui protector eſt omnium ſperantium in ſe*, ſiue extraordinarium eius auxilium, aut miraculum exſpectantium, & armis quidem ac viris, ſi adſint, vtentium (.nam ea niſi ex peculiari mandato Dei, negligere eſſet temerarij, ac tentantis Deum,) nihil tamen in eis fiduciæ habentium. Pſal. 32.

Non

Sed in Deo ſperauit. Ab eoq; extraordinarij auxilium ſubinde exſpectauit

Media humana ſunt iniquitas, & rapina, cum fiduciam hominibus præbent.

Vnde Dauidi nata tanta in Deum fiducia

Dauid cupit ſecum fieri ſignum, ſeu miraculum.

Non saluatur Rex per multam virtutem, siue potentiam exercitus sui. *Gigas non saluabitur in multitudine fortitudinis suæ. Fallax equus ad salutem* (. fallitur qui se victorem fore sperat, propterea quod equitatu hostẽ superet.) *ecce oculi domini super metuentes eum, & qui sperant in misericordia eius.* Psal. 107. *Deus tu repulisti nos, & non exibis in virtutibus nostris*, idest, non esse soles nobiscum, quando vel minimùm in nostris virtutibus, vel viribus ad victoriam momenti esse credimus, *da nobis auxilium domine* (extraordinarium scilicet, siue prodigiosum.) *quia vana salus hominis*, siue quia humanis Medijs non conficitur victoria, etiamsi abundè adsint. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* Psal. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas*, siue respectũ nullum habuit ad auxilia humana, vt ab ijs opem peteret. Psal. 65. *Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*: id est, non erit mihi adiutor, si à Mammona iniquitatis, siue pecunia, & similibus belli gerendi neruis, qui dicuntur, auxilium exspecto, quod esset Idololatriam committere, & velut alienum Deum inuocare. *A solo* enim *Deo* est *auxilium.* Pecuniam igitur, & equitum peditumq; turmas, itemq; prudentiam suam, & rei militaris vsum pro Deo habet, qui propterea quòd ijs abundet, victorem se fore sperat. Psal. 43. *In te, Deus, inimicos nostros ventilabimus, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Non enim egredieris in virtutibus nostris. Si obliti fuerimus nomen Dei nostri, & si expanderimus manus nostras ad Deum alienum: nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis.* Psal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis* spem habebant *: nos autem in nomine Dei nostri inuocauimus. Igitur ipsi incuruati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.* Psal. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* (illustre eius rei Exemplum 1. Reg. 26. legimus) *Si exsurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo*, siue petam, & exspectabo, vt faciat mecũ signum in bonum, siue vt prodigiosè, & extraordinario modo me iuuet, sicut eum posse & velle credo. *(Credo videre bona Domini* (siue signa, aut miracula in bonum.) *in terra viuentium. Exspecta Dominum viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominũ.*

Deus non ita miraculosè suos iuuat, cùm Medijs humanis instructi sunt.

Medijs humanis nimiũ cõfidere, est Idololatriam cõmittere.

CAP. XI.

Dauid perpetuò per fidem miraculosum obtinuit auxilium.

ATQ. hæc tanta Dauidis fides eum perpetuò, iam inde ab eo tempore, quo a Samuele Rex inunctus fuerat, victorem

fecit

fecit. Cum enim pasceret adhuc gregem ouium Patris sui, venissentq; Leo, & Vrsus, ac tulissent Arietem de medio gregis, non dubitauit vel inermis, ac solus eos persequi prædamq; ex ore eorum exsculpere: hac vna fretus fiducia, quod cum Deus ipsum elegisset regem, eius potentem dexteram sibi officium suum facienti, & gregem Patris custodienti nequaquam defuturam conijceret. Fecit igitur, vt illa cum bestijs pugna non ipsius, sed Dei esset: nisi enim vicisset, veritatem verborum Dei, regnum ipsi despondentis, in periculum venire necesse erat. Itaq; Deus non se tentatum à Dauide, sed sibi gloriam maximam datam esse, hac fiducia iudicans *præcinxit eum virtute, docuitq; manus eius ad prælium, & posuit, vt arcum æreum brachia eius* (Psal. 17.) quibus mentum Leonis, & Vrsi apprehendit, eosq; suffocauit. Eadem fiducia mox Gigantem Philistæum, vndiq; armis ingentibus tectum, ac munitum penè nudus aggredi ausus admirabilem victoriam retulit. 1. Reg. 17. *In cunctis deniq; ad quæ perrexerat, dominus eum adiuuit.* 1. Par. 18. *deditq; pauorem eius super omnes gentes.* 1. Par. 14. Sed neq; Ionathan filius Saul Deum tentauit, cum vno armigero socio tota castra hostium aggredi non formidauit, sed potius gloriam Deo dedit, cum eius omnipotentia fretus rem tantam ausus est. *Veni*, inquit, ad adolescentem armigerum suum, *transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat dominus pro nobis, quia non est domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis.* Cumq; ipsi Philistæi acclamassent: *Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem*: iam Deum ipsum contemni ab ijs ratus, quasi quem non crederent eas vires habere, quibus adiuti duo soli homines tota castra superare possent, ingenti spe plenus ad armigerum: *Ascendamus* inquit, *sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israel.* Et Philistæi cùm vidissent faciem Ionathæ, *alij cadebant ante illum, alios armiger eius interficiebat sequens eum. Et accidit quasi miraculum a Deo, magnusq; tumultus exortus est in castris Philistæorum, & versus fuit gladius vniuscuiusq; ad proximum suum, & cædes magna nimis.* 1. Reg. 13. Deniq; si verum quærimus, quicunq; in fungendo officio, siue se suisq; aduersus vim iniustam defendendis Deo dat gloriam, hoc est perfecto corde in eum credit, siue bonus sit, siue malus, siue ordinaria defensionis Media habeat, siue ijs careat, Deum facit commilitonem, atq; adeò omnes suas partes in Deum imponit, ipsoq; iam pugnante pro vtriusq; causa potiùs testem ac spectatorem pugnæ quàm militem agit. Sic enim Asæ supra exemplum habuimus, qui cum aduersus decies centena Aethiopum millia aciem eduxisset, & confessione omnipotentiæ diuinæ, quâ nitebatur, vt illud bellum

Non tentauit Deum exspectando miracula.

Ionathan fidei magnitudine miraculosam victoriam consequitur.

Quomodo quis Deum sibi commilitonem facere queat.

ipsius Dei esset, effecisset, *exterruit Dominus Aethiopes, & ruerunt vsq; ad internecionem, quia Domino cadente contriti sunt, & exercitu illius præliante.* 2. Paral. 14. Ita cum Iosaphat, de quo itidem supra dictum, suo ac populi nomine palam professus esset, se nullam, nisi in Deo, aduersus ingentes hostium copias fiduciā habere, eoq; pacto fecisset, vt pugna Dei esset, non ipsorum, non ipsi dimicarunt, neq; quicquam aliud fecerunt, quàm *confidenter steterunt*, Deo, cuius ea pugna erat, *vertente hostium insidias in semetipsos*, ita vt omnes mutuis vulneribus conciderent. 2. Par. 20. Similiter cum Sennacheribus magnus Assyriorum Rex Iudæis insultasset, & Regi Ezechiæ diffidentiam auxilij diuini, exemplo aliorum deorum, qui populos sibi deuotos tueri nequiuissent, incutere conatus esset. (*sicut* inquit *dij cæterarum gentium, non potuerunt liberare populum suum de manu mea, sic & Deus tuus, in quo confidis, eruere non poterit populum suum*) Ezechias autem fidem suam de omnipotentia Dei, spemq; inde conceptam propterea nequaquam deponeret, factum est, vt Deus suam causam per se ipse quiescentibus, neq; se commouentibus Iudæis tutaretur. *Egressus enim Angelus domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia, reuersusq; est Sennacheribus, cum ignominia in terram suam.* Isai. 36. & 2. Par. 32. Similiter Iudas Machabæus 1. Mac. 3. cum sui conspecta hostium multitudine animis conciderent, dicerentq, *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus ieiunio hodie*: fide ac fiducia plenus, *Facile est*, inquit, *concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei liberare in multis, & in paucis, quoniam non in multitudine Exercitus, victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos, in multitudine contumaci, & superbia, vt disperdant nos, & vxores nostras, filios nostros, & vt spolient nos: nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris, & ipse dominus conteret eos ante faciem nostram. Vos autem ne timueritis eos*, quasi dicat: ad victoriam nihil vobis necessarium est præter Fidem firmam, de omnipotentia Dei, deq; eiusdem voluntate iuuandi eos, qui pro verâ religione, solo diuino auxilio freti pugnant. Hac fide Machabæi perpetuò victores fuerunt, quippe quâ fecerant, vt omnes illorum pugnæ, non tam ipsorũ, quam Dei ipsius essent.

Machabæi miraculoso Dei auxilio freti semper vicerunt.

Sed quamprimùm *audiuit Iudas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, faciuntq; regnare, quibus auxilio esse volunt, regno autem deturbant, quos volunt, misitq; Legatos Romam, constituere cum illis societatem, & vt auferrent à Iudæis iugum Græcorum* (1. Mach. 8.) Deus gloriam suam imminui, sibiq; Romanos tanquam collegas dari indignè ferens, cessauit cum Iuda

Sed cum Romanis confœderati ab hostibus victi fuerunt.

facere

fateri signa in bonum, & extraordinariam suam opem, velut ab eo contemptam, subtraxit; Ex quo mox factum, vt Iudas in prælio caderet. Sed etiam fratribus eius, quamdiù non nisi Deo freti sunt, omnia ex sententia processerunt: simulac verò cum Romanis amicitiam renouarunt, quòd eâ tutiores se fore crederent, ope diuinâ destituti hostium insidijs oportunos se præbuerunt, ac perempti sunt: quorum tamen mors, tamquam causa Religionis suscepta, cùm alia ipsorum peccata, tùm etiam hunc errorem facile (ni fallor) expiauit, & in Sanctorum Dei martyrum censum eos retulit. Similiter XLIV. Israelitarum millia ingentem Agarenorum multitudinem fiducia diuini auxilij freti collatis signis vicerunt, velut 1. Paral. 5. scriptum est: *Traditi sunt in manus Israelitarum Agareni, quia Deum inuocauerunt, cum præliarentur, & exaudiuit eos, eò quòd credidissent in eum. Vulnerati ex hostibus multi corruerunt, centum verò millia capta sunt: fuit enim bellum domini*, hoc est, agebatur iam eo bello de gloria Dei, quia Israelitæ ab Agarenis pro populo Dei habebantur, & spem in ipso, non in aliquo præsidio, aut auxilio humano reponebant. Itaq; tametsi fortasse propter Idololatriam, aliaq; peccata meruissent, vt à Deo deserti hostibus succumberent, ne tamen Agareni ipsum Deum, in quo confisi essent Israelitæ, velut impotentem, suisq; viribus inferiorem contemnerent, distulit Deus Israelitarum pænam, eisq; victoriam tribuit, quemadmodum ipse nos consilium suum docens Deut. 32. *Generatio*, inquit, *peruersa, & infideles filij. Itaq; ignis succensus est in furore meo, vt vastet eos gladius: sed propter iram inimicorum distuli, ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent, manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.*

Peccatum diffidentiæ morte expiarunt.

Israelitæ vincunt, quoniã agebatur de Dei gloria.

Etiamsi à Deo puniri meruissent.

CAP. XII.

EAdem fides Carolum Martellum, Francorum Principem perpetuò victorem reddidit. Quamuis enim Ecclesiasticos crudeliter diuexaret, monasteria euerteret, pecunias ex decimis Ecclesiarum redactas, in stipendia militum conuerteret, Sanctum Eucherium Aurelianensem Episcopum, à quo propterea reprehensus fuerat, in exilium misisset, nihilominus, quia Dei auxilio fretus Christianorum, præcipuèq; Ecclesiarum aduersus Saracenos, domitores illos orientis, Africæ Dominos, Hispaniarumq; victores, defensionem susceperat, vtq; bellum ipsius Dei esset, effecerat, non magnis Copijs Francorum (quadraginta millia fuisse memorantur) quadringenta hostium millia profligauit,

Carolus Martellus Ecclesiasticorum persecutor.

Fide sua miraculosam victoriam obtinet.

trecentis septuaginta quinq; millibus interfectis, cùm ex Francis non nisi mille cecidissent: *qua Saracenorum calamitas* (ait Aemilius) *multitudine militum, & splendore Ducum occisorum, omnium sæculorum memoriam superauit.* Sed non eam solam Deo signum cum ipsius Exercitu faciente Victoriam obtinuit: Pœnam verò vexatarum, ac direptarum Ecclesiarum posterius luit, quando & ipsius maxime retulit, neq; Dei gloria detrimenti quicquam inde facere potuit. *Longa enim torsione, & verenda morte consumptus est*, velut S. Bonifacius, Germaniæ Apostolus, testatur. Voluit nimirum Deus, vt in hac potius vita peccatorum suorum atrocitatem expiaret, quàm in æternum periret, simulq; vt documento alijs esset Principibus, ab Ecclesiarum bonis, suas ac Ministrorum manus continendi: quomodo enim alij id impunè ferant, si Martellus, quo adiuuante S. Bonifacius instar centena paganorum millia ad Christi fidem conuertit, ne cum hoc mundo damnaretur, ante obitum à Deo corripi, & inusitatis morbi cruciatibus, ac tormentis iniuriam Ecclesijs factam luere necesse habuit? si tamen siue hoc, siue alio modo Deum offenderint, sapientissimè facient, vt tortoris manum præueniant, & ipsi à se pœnas expetant, quemadmodum Apostolus docet 1. Cor. 11. *Quia non dijudicatis corpus Domini*, sed perindè id comeditis, ac si panis aliquis quotidianus, & cibarius, neq; reuera Christi corpus, sed non nisi eius symbolum, ac velut tessera fraternitatis esset: *ideò multi inter vos infirmi*, siue ægroti, *& dormiunt*, siue morte temporali puniti sunt *multi*; *quos Dominus corripuit, vt non cum hoc mundo damnarentur. Quòd si autem nosmetipsos iudicaremus*, & peccati pœnas à nobis exigeremus, *non vtiq, indicaremur.* Magnus quidem certè Carolus hoc aui sui exemplo, vt apparet, cum perpetuo concubinatu, immo adulterio, iram Dei meruisse se intelligeret, extremos vitæ suæ annos agendæ pœnitentiæ impendit, neq; solum *peccata sua Eleemosynis, & iniquitates suas misericordijs pauperum redimere* (quod in omni vita anteacta S. Danielis consilium secutus studiosè fecerat.) sed etiam *cilicio carnem suam operire*, aliosq; dignos pœnitentiæ fructus facere voluit. Nam etiam impium illum Achab ea humilitate temporalis pœnæ debitum expunxisse legerat. 3. Reg. 21. Et S. Dauidem de se ipso sic testari Psal. 68. *operui in ieiunio animam meam, & posui vestimentum meum cilicium*: Christum deniq; agentes in cilicio pœnitentiam Matth. 11. commendare meminerat. Neq; tamen vnquam veritus fuit, ne propter concubinatum in bellis, quæ religionis, & Ecclesiæ causa susceperat, ab hostibus vinceretur, quod ea bella non sua, sed Dei esse sciret, omnemq; in Dei omnipotentia, & Beati Petri

Simul tamen in hac vita pœnas dependit.

Ob egregiam operam in conuersione infidelium nauatam.

Carolus Magnus agit pœnitentiam.

Exẽple Achab & Dauid.

Qua fiducia tantus peccator miraculosam victoriã sperare ausus fuerit.

Apostolorum

Apoſtolorum Principis, aduocatione, ſeu patrocinio, ſpem haberet. Itaq; cum Saxoniam ſæpè rebellem, ſæpè armis repetitam, trigeſimo demùm pòſt anno penitùs ſubdomitam haberet, eam Chriſto, & B. Petro, quorum cùm ductu & auſpicio, tùm viribus auxiliarijs vicisſe ſe fatebatur, gratæ deuotæq; voluntatis cauſa donauit, & inter Epiſcopos adminiſtrandam diſtribuit, velut ex ipſius diplomate, quo Bremenſis Epiſcopatus inſtitutio ſancitur, apparet. *Saxones*, inquit, *quos Dei virtute vicimus & in Baptiſmi gratiam perduximus, priſtina libertati donatos, & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios, & ſubiugales deuotè addiximus, videlicet, vt qui noſtra poteſtatis iugum hactenus ferre detrectarunt, victi iam Chriſto, ac Sacerdotibus eius omnium ſuorum iumentorum, ac fructuum, totiuſq; cultura Decimas, ac nutritura, diuites ac pauperes legaliter conſtricti perſoluant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in prouinciam redigentes, & inter Epiſcopos certo limite diſterminantes, Septentrionalem illius partem, qua & piſcium vbertate ditiſſima, & pecoribus alendis habetur aptiſſima, Chriſto, & Apoſtolorum Principi Petro, pro gratiarum actione deuotè obtulimus, ſibiq; in VVigmodia, in loco Bremen vocato, Eccleſiam, & Epiſcopalem ſtatuimus Cathedram &c.* Sed etiam Theodoſij magni Imp. Exemplum quantas Fides in Deum ad ſuperandos hoſtes vires habeat, perſpicuè docet. Profectus is fuerat contra Eugenium Tyrannum, cum omnibus Orientalibus copijs, & ingenti Barbarorum ſponte ſequentium multitudine. Cum verò ordinum Duces Copias eius adhuc pauciores eſſe dicerent, quam quæ tutò in hoſtem tam potentem ducerentur, adeòq; expeditionem differendam ſuaderent, vt primò vere alius Exercitus conſcriberetur, hoſteſq; militum numero vincerentur: ille enimverò nequaquam tantam imbecillitatem *omnipotenti Crucis armatura tribuendam* dixit, *quæ ex aduerſo Herculis imagini eſſet oppoſita. Exercitui enim meo Crux* (inquit) *prait: Tyranni autem Copias Hercules ducit*. Hæc locutus iter inijt. Conſtantinopoli autem egreſsus in ſuburbio ad Eccleſiam venit, quam ipſe S. Ioanni Baptiſtæ (quem præcipuè colebat) conſtruxerat. Eam ingreſsus eſt, vt ſimul & preces ad Deum funderet, & Baptiſtam ad ferendum ſibi auxilium inuocaret. Re ibi diuina peracta, in Italiam contendit. Accidit autem, vt in Alpium faucibus, in locum periculoſum, cum copijs ſuis, imprudens incideret, ante, & à tergo ſibi imminentes hoſtes habens, & nullo humano conſilio, aut præſidio

Saxoniam armis ſubactam Eccleſia donauit.

Theodoſius fide ſua miraculosè hoſtes vicit.

ex

ex ipsis velut Orci Cancris, siue faucibus expediri se posse satis intelligeret. Id quod dubium non est, quin diuinitus contigerit, vt tãtò illustrior Fides eius, ex eoq; Dei gloria redderetur. Quamuis enim causã belli haberet iustissimam, & solius diuini auxilij fiducia niteretur, quia tamen satis numerosum ducebat Exercitum, ne vel ipse postea eo confisus videretur, vel auxilij diuinitus lati magnitudo minùs clarè perspici posset, in extremas omnium rerum difficultates, ex quibus emergi non posse videretur, rectè incidit. Ad Deum igitur conuersus, totam noctem in Oratorio, siue Sacello suppliciter orans consumpsit. Circiter galli cantum contra animi sententiam, somno oppressus, & in nudo solo prouolutus Ioannem Euangelistam, & Philippum candido vestitu, & candidis equis vectos vidit, qui eum forti animo esse, metum abijcere, & cum diluculo aciem instructam in hostes educere iusserunt, se auxilio ei à Deo missos, & in prima acie pugnaturos esse confirmantes. Quibus fide habita prodigiosam, & vel ab Ethnicis inter ostenta, seu miracula, numeratam victoriam reportauit. In ipso enim prælij ardore vehementissimus ventus aduersus hostes obortus in ora illorum irruit, ordinesq; soluit: tela, & sagittas, quæ contra Theodosianos emittebantur, vi quadam in eos, qui remiserant, reiecit, & clypeos cum multa purgamentorum congerie, & puluere incredibili illatus, ex eorum manibus rapiens & lora conscindens, eos in illorum ora peruoluit. Itaq; hostes manifestè Imperatori diuinitùs suppetias ferri cernentes, ad pedes eius veniæ petendæ causa humiliter se abiecerunt, statimq; in gratiã recepti Tyrannum vinctum Imperatori obtulerunt. Adeò nullum tempus est, quo non faciat Deus, quod prophetam testantem audiuisti: *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & prabent fortitudinem his, qui perfecto corde credunt in eum.* 2. Par. 16.

Eius Fides periculi magnitudine illustratur.

CAP. XIII.

SED libet nunc duo tibi, Imperator, exempla commemorare, quæ longè maximam cum rerum tuarum statu similitudinem continent, vt quid tibi aduersus Protestantes faciendum, quaq; spe nitendum sit, faciliùs iudicare possis. Gainas Gothus Arij peste infectus ex tenui milite Dux Romanorũ factus, omnibusq; equestribus, & pedestribus copijs præfectus, cum omnes militares præfecturas Gothis suis commisisset, & ipsi iam Arcadio Imp. formidabilis euasisset, ita vt Imperator consulares quoq; viros, quos barbarus aduersari sibi suspicabatur, postulanti dederet, neq;

Gainas Princeps Hæreticus potentia sua fretus.

neq; quicquam negare auderet, liberum Arianæ suæ religionis exercitium, & vnum, intra Vrbem Constantinopolin, templum Arianis tribui postularet, minimè conueuire dictitans, vt ipse Romanæ militiæ Dux in Ecclesia extra Vrbis mænia orare cogeretur. Imperator metu perculsus S. Ioannem Chrysostomum, vrbis Patriarcham, vt tempori cedat, vnamq. Arianis Ecclesiam tribuat, quasi supplex precatur. Ille enim verò nequaquam se commissurum testatur, vt Catholici ex vlla Ecclesia eijciātur, & blasphemiæ Arianorum locus detur, Imperatorem quoq; grauiter monet, vt ne Sanctum canibus dare in animum inducat, & Imperio potiùs cedat, quam vel vnam Hæreticis Ecclesiam prodat. Cum vero Gainas ex diuersa parte æquum esse diceret, se Romanæ militiæ Principem vnam Ecclesiam habere: *omnes tibi*, inquit Chrisostomus, *sacræ ædes patent*. At ego (ait ille) alterius religionis sum, & quod peto, rectè me petere puto, qui plurima pro Romanis certamina pertuli. *At tu*, inquit vir sanctus, *tanto maiora habes laborum præmia. Patria pulsus, egenus, & lacer, ad huius Imperatoris Patrem venisti, ab eo susceptus Romanis copijs præfectus, ornamentis consularibus donatus, opibus auctus, meritò nunc, ne ingratus videare, moderationē obtines. Amicum fidumq; te Romanis, Imperatori, ac liberis eius futurum, legesq; seruaturū iurasti, in quibus est illa etiam, quæ Hæreticos intra Vrbem conuentus agere prohibet: quo pacto igitur, vt ea nunc irrita fiat, allaboras, neq; periurij crimen reformidas?* His verbis cum silentium Barbaro impositum fuisset, Arcadius nihil, quod Catholico Imp. indignum fuisset, admisit, ac propterea mox à Deo constantiæ mercedem retulit. Cùm enim Arianus ille Princeps ingentem Barbarorum vim noctu ad Imperiales ædes incendendas misisset, cælestis quædam manus ingentibus corporibus, insidiatoribus, & incendiarijs illis apparens, ita eos exterruit, vt terga verterent, & nouum Exercitum clam ab Imperatore in Vrbem accitum rati, mox cum Duce suo vrbe excederent. Cum igitur eodem exemplo multa habeas Imperator, quibus seditiosas, & impudentes Principum Hæreticorum postulationes confutare possis, cuiusmodi est, quod partim ipsi te Sacramento adegerunt, Romanæ Ecclesiæ aduocationem commodare, & Pontificis honorem inuiolatum tueri, omnes autem conceptis verbis Sacramento dato, se tibi, atq; Imperio perpetuò fideles, & obedientes fore, neq; leges vmquam migraturos promiserunt, quarum Principem in Codice Iuris Cæsarei locum illa obtinet, quæ omnes Imperij subditos iubet esse Catholicos, siue Romanæ Ecclesiæ fidem amplecti: nequaquam debes committere, vt potentiam eorum pertimescens, vel ipse contra quàm iurasti facias, vel iusiurandum, quo tibi

Religionis exercitium liberū ab Imp. postulat.

Ei Imperator gratificari pre metu cogitat.

Sed id S. Chrysostomus impium esse docet.

Et Hæretici Principis fastum retundit.

Deus miraculosè Imperatorem aduersus Hæreticum illū tuetur.

Carolus Imp. istud Arcadij Exemplum imitari debet.

tibi Ecclesiæ, & Imperio deuincti sunt, violare eos impunè finas; si bellum tibi moueat, nempe Dei id bellum erit, nō tuum, adeoq; nec de victoria quicquam debes diffidere. *Non tu eris, qui dimicabis. Itaq; sta tantum confidenter, & videbis auxilium Domini super te.* 2. Par. 20. Alterum, quod tibi recitaturum me dixeram, Exemplum est magni illius Othonis Imperatoris: qui cum in Alsatia Henrici fratris rebellis, & Lotharingiæ ac Burgundiæ Ducum potentissimo Exercitu vndiq; conclusus esset, plurimiq; militum eius ad hostes profugerent, quidam Imperij Princeps partes eius cum magna militum manu secutus, quod eum in tantis angustijs positum, nihil sibi negare ausurum, persuasissimum haberet, vt sibi Abbatiam Laureshemensem donaret, petijt, eius opibus se, militi quæ deberet, stipendia dissoluturum dictitans. Sed Imperator Deo deuotissimus, sacrilegam Principis mentem toto pectore detestatus, circumfuso & audiente Exercitu: *Obedire* inquit *oportet Deo magis quàm hominibus. Quis sapiens non videat, te non tam humiliter hoc à me petere, quam tacita defectionis comminatione mihi rebus meis sine tuo auxilio diffidenti, in ipso articulo extorquere velle? Scriptum est: nolite sanctum dare canibus. Itaq; si exemplo cæterorum perfidorum ad hostes vis transfugere, quantò citius, tantò idem feceris melius.* quasi dicat: non esse cur belli socium, & adiutorem habere velit hominem Ecclesiasticis bonis tam sacrilegè inhiantem, Deoq; se magis propitio vsurum videri, si nullus tanta impietate affectus in exercitu suo inueniatur, cùm ex vnius Achan sacrilegio fugam exercitui immissam, & cædem non paucorum secutam, legendis sacris literis didicerit. Statim itaq; pietatis suæ fructum cepit: nam Princeps ille rubore perfusus confestim ad pedes eius accidit, seq; grauiter peccasse confessus, in gratiam recipi petijt: non multò autē post, Imperatori in Ecclesia oranti, & causam suam Deo, cuius vnius auxilio fidebat commendanti, nuncius de cæsis hostibus insperatus aduenit. Finge nunc, magnum hunc Imperatorem, accepto parumper è Beatorum sedibus recedendi commeatu, propter te assistere, eumq; quid tibi aduersus Principes Ecclesiarum inuasores, tibiq; & Ecclesiæ pariter rebelles faciendum censeat, consule. Nimirum facere te monebit, quod ex officio debes, quodq; facturum te conceptis verbis iusiurandum dedisti. Dicet se Regem Bolesoden, bello captum, nullam aliàm ob causam, nisi quia à suscepta semel Ecclesiæ Romanæ fide perfidiosè desciuerat, in patibulo suspendendum curasse, Deoq; fretum, quo id animo Reges alij accepturi forent, nihil pensi habuisse. Commemorabit se in summis rerum omniū angustijs eum Principem, cuius vnius auxilijs salus sua niti videretur, quod vnam

Othonis Magni Exemplū.

Id Carolus Imp. imitari debet.

Otho Regē captum ob desertam Catholicam fidem in patibulo suspendit.

Abbatiam

Abbatiam dono à se postulasset palàm audiente toto exercitu velut Canem proditorem perfugamq; reiecisse, & omni potius ope humanâ priuari, quam permisso, vel minimæ rei sacrilegio totius orbis Imperio potiri voluisse. Itaq; magnopere se tibi auctorem esse dicet, ne Mauritij Saxonis opera vllam ad rem vti velis. Præterquam enim quod is fidem Deo, & Ecclesiæ datam fregerit, & Hæresin sectetur, tum etiam vendidisse Senatui Lipsiensi ius occupandi Monasteria, quæ apud ipsos sunt, vt multò satius videatur, eum cum cæteris perduellibus diuinæq; ac humanæ Maiestatis læsæ reis, tibi aduersari, quam sui maioris emolumenti causa, tecum aduersus Principes suos, suæq; prorsus farinæ homines comparatas Sacrilegio copias coniungere. Id enim perinde futurum, ac si Deus suis viribus honorem suum vindicare nequeat, sed cacodæmone, ac deuotis eius vti adiutoribus necesse habeat.

Carolus V. nō debuit vti auxilio Mauritij Saxonis Ducis.

CAP. XIV.

NEQ. verò est, Imperator, quod hoc tēpore Deū ijs, *qui perfecto corde in eum credunt*, non æquè ac sæculis prioribus opem ferre existimes. Voluntatem enim gloriæ suæ vindicandæ nequaquam deposuit, & vires ac potentiam, qua hostes suos vlciscatur, nondum amisit: quorum alterutrum ijs videri oportet, qui Deum iam miracula patrare negant, adeoq; vndevnde auxilium corrogare, & quà Dei amicis, quà inimicis vti te volunt. Et tamen non sunt hi primi, qui siue potentiæ Dei, siue voluntati diffidunt. Nam vt de illis hic taceam, de quibus supra narraui, etiam Gedeon Iudic. 6. in eand. ferè sententiam sic cum Angelo disputat: *Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos mala hæc omnia? Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atq; dixerunt, de Aegypto eduxit nos Dominus? nunc autem dereliquit nos dominus, & tradidit in manu Madian.* Sed in hoc Gedeoni sunt dissimiles, ista qui disputant, quod Gedeon simulac quid sui esset officij, siue quid se Deus facere vellet, didicit, adeò confirmatus est in fide, vt centum triginta quinq; hostium millia, non nisi trecentorum militum manū aggredi ausus fuerit, cum prius altare Deo ædificasset, aram verò Baal destruxisset, vt omnino solo Deo confidere, neq; quicquam à Baal, & cultoribus eius, hoc est, à falsæ religioni deditis, præsidij exspectare se ostenderet. Isti autem belli consiliarij tui, nisi copijs & armis hostes multum superes, nequaquam aleam belli adeundam tibi contendunt, vtq; certo potius Hæreticorum, ac proinde cacodæmonum, quàm incerto Dei auxilio confidas auctores sunt. Neq; verò mouere

Deus hodie nō minùs facit miracula quā olim.

Cum eius rei nec voluntatē nec facultatē amiserit.

Etiam priscis sæculis dicebant nonnulli Deum miracula facere desijsse.

Obiectiones quadam, qua contendunt, Carolum Imperatorem nō debere sibi miraculosam victoriā polliceri

te, Imperator, debet, quod contradici ab alijs potest, Gedeonem habuisse peculiare belli sine necessarijs præsidijs suscipiendi mandatum, habuisse complura signa, seu miracula, quibus confirmaretur deq; prospero belli euentu certus fieret, habuisse deniq; spiritus sancti dono, tantam fidem, quanta victoriam conficere posset, sicut Iud. 6. hisce verbis significatur: *Spiritus Domini induit Gedeon*, siue *irruit super Gedeon*, quemadmodum alibi scriptura loqui solet de donis spiritus sancti, quibus vel intellectum, vel voluntatem hominis mouet interdum nec opinantis, nonnunquam ad recipiendam Spiritus gratiam se præparantis, eamq; expectantis.

Carolus habet mandatū Dei expressū.

Quod enim ad Dei mandatum attinet, cum Romanus sis Imperator, Ecclesiæ nutricius, defensor & aduocatus, siue dextrum corporis Christi brachium, quid te facere Deus iubeat tibi obscurum esse nequit.

Ecclesiam aduersus Hæreticos defendendi.

Palàm est, id agere Hæreticos Principes, vt Ecclesiæ bona sacrilegè diripiant, & complures in sectam suam perducant, hoc est, escam corpori toti præripiant, vestitum adimant, membra non pauca amputent. quid igitur cessas? quid dubitas?

Est enim Brachium Ecclesiæ, & gladiū portat.

non sine causa gladium portas, sed Dei minister es, bonum facienti in bonum, vindex autem in iram ei, qui malè agit. Rom. 13. *Itaq; consurge, consurge, induere Fortitudinem Brachium domini: consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum*, Isai. 51.

Habet ordinariam vocationem.

Signis ac miraculis Gedeonem confirmari res postulabat, quippe cuius extraordinaria esset vocatio, adeoq; satis incerta. Sed longè alia tua, Cæsar, est ratio, quem à Deo vocatum, & Imperio legitimè præfectum esse, nemo nescire potest: tum etiam non ipse periculum tibi accersis, sed aliena vi in periculum coniectus es,

Neq; ipse se periculo exponit

vt aut grauissimè peccare, siue gloriæ diuinæ, & Ecclesiæ causam Hæreticorum auiditati petulantiæq; prodere, aut aleam periculosi belli aduersus hostes potentissimos experiri necesse habeas. itaq; Dei opem extraordinariam meritò tibi polliceri possis: neq; tamen non multò plura, quam Gedeon, signa habes, quæ animum tibi confirmare, & omne dubium, atq; incertum de belli exitu discutere debent.

Habet plura signa, quàm Gedeon, quæ ipsi miraculosam victoriā despondeant.

Cum enim quæ supra tibi Regum, ac magistratuum, prodigioso Dei adiutorio defensorum Exempla recensui, non propter ipsos, sed propter nos, *in quos fines sæculorum deuenerunt*, scribi Deus fecerit, tamquam figuram, siue Exemplar eorum, quæ nobis, in simili casu, rerumq; articulo positis, euentura essent (quod quidem Apostolo Paulo 1. Cor. 10. perspicuè affirmanti minùs credere nefas fuerit.) tuum nunc est, ea omnia ad te reuocare, neq; quicquam dubitare, quin Deus, qui *idem ipse est*, nec vnquam mutatur, eodem quo illos modo, te similiter, atq; illi, pro Dei gloria ex officio propugnantem, prodigiosè adiutum, defensumq; velit. Fides, quantam huic negotio necessariam dixi,

etsi

etsi peculiare Dei donum est, *& gratia*, quam vocat, *gratis data*, nequaquam verò gratum Deo acceptumq; faciens, certò tamen ijs datur, quibus fungendo muneri suo est necessaria, dum ne ipsi quò minùs eam accipiant, impediant. Itaq; si quod capitis membrum, siue Sacerdos quispiam, Christi gloriam annuncians signis ac prodigijs, ad confirmandam doctrinam suam, tamquam sigillo diuino, quod diplomati fidem faciat, opus habeat, dubium non est, quin *Dominus cooperetur, & sermonem confirmet sequentibus signis*, velut non modò Apostolis fecit, sed omnibus etiam docentibus, & baptizantibus, siue legitimè missis Presbyteris, & Episcopis facturum se promisit. Matth. 28. & Mar. 16. *Euntes docete, & baptizate omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum cooperans, & sermonem confirmans sequentibus signis*, non modo quoad vos viuetis, sed etiam *omnibus diebus vsq; ad consumationem sæculi*; Si tamen qui docent, ac baptizant, *crediderint*, siue tam magnam fidem de omnipotentia mea habuerint. *Signa autem eos qui crediderint* mihi datam esse omnem potestatem in cælo, & in terra, *hæc sequentur, In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent & bene habebunt*. Est ergò gratia fidei Sacerdotibus necessaria ad fungendum munus suum, & propterea eam Deus ipsis impartitur *per impositionem manuum Presbyterij*, tametsi multi hanc gratiam ipsis datam negligunt, ac veluti ignem sub cineribus occultari, ac sepeliri patiuntur, sicut ex Pauli admonitione discimus 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiã, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij*. Et 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt resuscites*, ac veluti flatu reaccendas seu reconfles *gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis*, siue fortitudinis, ac roboris in quacunq; virtute ad munus nostrũ necessaria, imprimis virtutem ac robur fidei, *vt confortemur fide, plenissimè scientes, quia quæcunq; promisit Deus potens est & facere*, adeòq; faciet, *vt Euangelium nostrum non sit apud* auditores *in sermone tantùm, sed in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa*. Rom. 4. & 1. Thess. 1. Similiter cum te Deus Ecclesiæ suæ brachium, siue Imperatorem constituit, tu ab Ecclesiæ capite per Coloniensem Episcopum ipsius Christi gladium accepisti, postquam conceptis verbis eo te ad Religionem & Ecclesiam Catholicam defendendam tuendumq; Romani Pontificis honorem, vsurum iuratus es: nemini dubium esse debet, quin simul spiritum, siue dona spiritus, ad fungendum brachij munus necessaria acceperis. Vt enim Apostolus docet 1. Cor. 12. Spiritus sanctus in hoc mystico Christi corpore, id vnicuiq; membro

Magna fidei donum contingit omnibus, quibus ad fungendum munus est necessarium.

Sed donũ illud resuscitandũ, non negligendum est.

Cæsari donũ magnæ fidei ad exercendũ munus est necessarium.

Id igitur et certò contingere credendũ est.

Charisma, siue donum impartitur, quo *ad vtilitatem* totius corporis ei vsus est. Et quoniam inter præcipua membra nominat *Gubernationes*, siue *Presbyteros qui præsunt*, hoc est, *Episcopos à Spiritu sancto positos Regere Ecclesiam Dei* (1. Tim. 5. Actor. 20.) tum *Opitulationes*, siue sæculares magistratus in primisq; Reges, quos *Ecclesiæ seruituros, ac veluti ministros adstituros esse*. Isai. 60. prædictum fuerat, certè nemo, nisi impius & Hæreticus dubitare potest, quin necessaria ad imperandum dona, per consecrationem, siue Benedictionem Episcoporum acceperis, quemadmodum Deut. 34. de Iosua legimus: *Iosue repletus est spiritu Sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas*. Et de Saule. 1. Reg. 10. quod à Samuele Sacerdote vnctus in Regem, simul *in alium virum immutatus fuerit*, hoc est à spiritu Dei dona quędam acceperit, quibus ei ad populum regendũ, & de inimicorum manibus liberandum vsus esset: id quod statim re patuit, cum Rex Ammonitarũ Galaaditis impotentissimè comminatus diceretur, *se dextros oculos omnium eruturum, ipsosq́; opprobrium in vniuerso Israel positurum esse*. His auditis, *insiluit spiritus Domini in Saul, & iratus est furor eius nimis & coacto Exercitu Ammonitas cecidit, itaq; dispersit, vt non relinquerentur in eis duo pariter*. Sic de Dauide quoq; 1. Reg. 16. scriptum est, *à die illa, qua Samuel eum vnxit, ac deinceps, directum in illo Dei spiritum fuisse*, hoc est, insignia quædam spiritus sancti charismata in ipso apparuisse. Eorũ verò charismatum præcipuum fuit, *magna illa fides qua mox obturauit os Leonis* & Vrsi, *fortisq; factus in bello* gigantem occidit. Id enim fide factum supra ex Hebr. 11. didicimus. Sed etiam S. Vdalrico Deus per visum, quam efficax sit ad conferendam Regibus spiritus sancti gratiã Episcoporum Benedictio ostendit, cũ Henricũ Aucupem Germaniæ Regem, propterea quòd is ex præpostera, & intẽpestiua quadã humilitate indignũ se iudicasset, qui ab Archiepiscopo Moguntino vngeretur, *Gladium sine capulo tenere*, dixit, Reges autem, quibus Episcopi manus inter vngendum imposuerint, nõ modo gladiũ, sed simul capulum accepisse docuit: vt dubitare nefas sit, quin inter inaugurandum, non tantùm oleo, sed etiã gratia Sancti spiritus, quantũ quidem Cæsarium munus requirit, ab Episcopis vnctus fueris, & Fidei quoq; Virtutem, siue Fortitudinem acceperis, sine qua *bella Domini* nemo præliari (1. Reg. 18. 17.) neq; ita prospere vt cupit, populum Dei aduersus hostes defendere, victoriamq́; admirabilẽ reportare potest, quare te nõ minùs quã Timotheũ admoneri ab Apostolo puta, *ne negligas, sed resuscites gratiã, quæ est in te quæ data est tibi per impositionem manuum Sacerdotalium*, oleo Ecclesiæ precibus sanctificato te vngentium. *Non enim dedit tibi Deus spiritum Timoris*, sed virtutis

Imperatores ac Reges per vnctionem Episcoporum donum magnæ fidei accipiũt.

Exemplum Saulis.

Exemplum Dauidis.

Exemplum Henrici Aucupis.

Quã Spiritus Sancti gratia Imperatori per inaugurationem conferatur.

Eam Imperator non negligere, sed resuscitare debet.

virtutis, vt prophetæ verbis de te profiteri queas: *Repletus sum fortitudine Spiritus Domini, iudicio, & virtute.* Mich. 3.

CAP. XV.

Quomodo accepta gratia eiusmodi resuscitentur:

QVO autem pacto eiusmodi gratia resuscitetur, id te Sanctorum hominum Exempla docere possunt. Illi enim in primis res à sæculo gestas memoria repetebant, vt Fidem, periculorũ imminentium mole fere obrutam ac sepultam, velut è cineribus eruerent, & rursum accenderent. Psal. 118. *Memor fui iudiciorũ tuorum à sæculo, domine, & consolatus sum,* siue robur fidei accepi, ac fortitudine indutus sum. Psal. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos sæculorum in mente habui: Exercitabar, & scopabam spiritũ meum,* siue exercendo me in meditatione rerum à Deo miraculosè gestarum, gratiam spiritus, quæ erat in me resuscitabam. *Memor fui operũ domini, & mirabilium tuorum ab initio: Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia. Notã fecisti in populis virtutem tuã,* siue illustria specimina omnipotentiæ tuæ dedisti. *Et dixi* tandem diu meditatus: *nunc cœpi* cõfirmari in fide: *hæc mutatio dexteræ excelsi,* id est, persuasissimũ habeo, dexterã Deitã esse potentẽ, vt omnia, quæ nunc videntur deplorata, in melius commutare possit. Psal. 77. *Quanta Patres nostri narrauerunt nobis, narrantes Laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit? Quanta mandauit patribus nostris, nota ea facere filijs suis, vt cognoscat generatio altera, vt ponant in Deo spem suam: nec fiant sicut patres eorũ generatio, quæ non direxit* (Hebr. præparauit) *cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius,* id est, non crediderunt Spiritum Dei esse spiritũ Virtutis, & omnipotentiæ. Itaq; *quamuis essent intendentes, ac mittentes arcum,* siue quamuis armati in hostes progrederentur, *tamen in fugam conuersi sunt in die belli.* Sic ergo discimus, cum etiã populus Domini ab Infidelibus & impijs oppugnatus se tuetur, eũ tamen inferiorẽ discedere, si Fidem magnã non habeat, nec in Deo spem suam ponat: Fidẽ verò propterea ei non contingere, quia *non præparat cor suum* ad recipiendã scilicet Fidei gratiam. Præparatio verò consistit præcipuè in memoria miraculorũ, quæ Deus antiquitus patrauit: quorũ qui obliuiscitur, maximè efficaci resuscitandæ Fidei adiumento caret. Itaq; de ijsdẽ Israelitis Psalmus: *obliti sunt* (inquit) *Benefactorũ eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis.* Quare Regibus magnisq; Principibus nõ minùs quàm Sacerdotibus, sacrorũ librorũ necessaria est lectio. Sicut enim Episcopi, ac Sacerdotes, vt gratiã doctrinæ, & intellectus ipsi datã resuscitent, *attendunt lectioni,* velut 1. Tim. 4. facere monẽtur: similiter Reges vt ne gratia magnæ fidei, siue roboris, ac fortitudinis ad prælianda bella domini necessaria, quam cum vnguntur, accipiunt

Primùm memoria repeten da prisca Exempla.

Regibus, & Principibus æquè ac Sacerdotibus necessaria est Bibliorum lectio

accipiunt, sepeliatur, & propter negligentiam ipsis pereat. *Legem Domini à Leuiticis*, siue legitimè missis *Sacerdotibus acceptam secum habere, eamq; omnibus diebus vitæ suæ* legere meritò debent, dum tamen *scientiam*, siue verum legis sensum, vbi is ambiguus difficilisq; fuerit, *ex ore summi Sacerdotis requirendum sciant*: Deut. 17. Malach. 2. Itaq; Iosuam Deus non modo ad magnam fidem sic exstimulat. *Confortare, & esto robustus valde; noli metuere, & noli timere, quoniam tecum est dominus Deus tuus*: sed etiam quomodo gratiam roboris, siue Fidei per impositionem manuum Mosis acceptam, resuscitare debeat, ita præmonstrat: *Non recedat volumen legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*. Nimirum *ignitum est eloquium tuum Domine, vehementer, & seruus tuus dilexit illud. tota die meditatio mea est*, *Psal.* 118. *Concaluit intra me cor meum, & in meditatione mea exardescet ignis*, ac fides velut cineribus obruta, lectis tot mirabilibus Dei operibus rursum accendetur, Psal. 38. Propter hanc causam; hoc est, vt fidem in cordibus filiorum inflammaret Matathias 1. Mach. 2. iam moribundus: *Mementote* inquit, *operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam. Ananias, Azarias, & Misael credentes*, siue per fidē *liberati sunt de flamma. Daniel liberatus est de ore Leonum. Et ita cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui sperant in eo, non infirmantur. Itaq; confortamini, & viriliter agite in lege, & à verbis viri peccatoris ne timueritis*. Huius Exemplo Iudas Machabæus 1. Mac. 4. cum *tria inermium*, hoc est, neq; clypeos, neq; gladios habentium *militum millia aduersus castra Gentium valida, & Loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hos doctos ad prælium educeret*, quod sciret non armis, sed fide hostes vinci, vt fidem in animis suorum resuscitaret, hoc modo verba fecit: *Ne timueritis multitudinem, & impetum eorum. Mementote qualiter salui facti sint patres nostri in mari rubro. Et nunc clamemus in cælum, & miserebitur nostri dominus, & conteret exercitum istum, ante faciem nostram hodie, & scient omnes gentes, quia est, qui redimat & liberet Israel*. In quibus verbis altera insuper ratio resuscitandæ fidei cernitur, si quis nempe se coram Deo humiliet, suam necessitatem, infirmitatem, & indignitatem simpliciter exponat, cor suum effundat, ac velut Tertullianus loquitur, *supplicem inuidiam Deo obijciat*. Cuius rei Iosaphat nobis Exemplo est. 2. Par. 20. *Domine*, inquit, *in nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*, vt tu scilicet Fidem in nobis accendas, qua sola victores fieri possumus

Sic tamen, vt textum & sensum à summo Sacerdote accipiant.

Quid assidua lectio Bibliorum eis prosit.

Alius modus resuscitandi acceptam magna fidei gratiam.

sumus. *Credite* (ait idem mox ad populum) *in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera*. Sic Dauid hostes vndiq; in se tamquam in parietem inclinatum irruere videns Psal. 61. humilitate sua spem, siue auxilij diuini fiduciam, ex fide potentiæ Dei conceptam impetrare studet: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia*, siue, vt est in Hæbræo: *ab ipso spes mea. Sperate in eo omnis congregatio populi, & erit adiutor vester*. Vt autem donum fidei, ac spei impetretis, siue, vt gratiam, quæ est in vobis, resuscitetis, *effundite coram illo corda vestra*. Psal. 36. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet*: Spem verò vt impetres, *subditus esto Domino, & ora eum*.

CAP. XVI.

Alius modus resuscitandi gratiam magna fidei.

Verbis dare gloriam Deo.

SED non alia magis ratione sanctos latentem in ipsis Fidei gratiam resuscitare solitos video, quam dando gloriam Deo, eiq; quà verbis, quà factis seruiendo. Verbis gloriam dederunt Deo omnipotentiam eius prolixè commemorando suasq; vires, præsertim magnas contemnendo, quodq; nihil prorsus in ijs confiderent, palam contestando. Ita Rex Abias cum sub signis haberet belli cosissimos viros quadringenta millia, apertè nihilominus testatus est se nulla alia re confidere, quam quòd in Exercitu suo *Dux esset Deus, & Sacerdotes eius, qui clangerent tubis contra hostes*. Propterea Deus ipsius, & exercitus fidem auxit, vt vndiq; ab hoste circumdati non ad arma sua, sed ad Dei auxilium confugerent. *Omnes viri Iuda vociferati sunt* (2. Par. 13.) *& ecce illis clamantibus perterruit Deus hostes, & tradidit eos in manus eorum, vt caderentur ex eis quingenta millia: & vehementissimè confortati sunt filij Iuda, eò quòd sperassent in domino Deo patrũ suorum*. Similiter Asa Rex, ne suo officio deesset, in hostem quingenta octoginta millia, *omnes viros fortissimos* eduxit, sed Deo tamen gloriam dedit, eius ope se nihilominus egere publicè professus. 2. Par. 4. *Et inuocauit Deum dicens: Domine non est apud te vlla distantia, vt, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Deus noster. In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Exterruit itaq; dominus hostes, vt fugerent. Et ruerunt vsq; ad internecionem, quia Domino cadente contriti sunt, & Exercitu illius prælante*. Iosaphat quoq; cum haberet ad manum vndecies centena & sexaginta robustissimorũ militum millia, bello tamen ingruente, suas ipse

vires

vires contemsit; *totumq; se contulit ad rogandum Deum*, omniq; regni sui populo ieiunare, & in templum conuenire iusso, dedit Deo gloriam eo, quo supra commemoraui, modo, fiduciam nempe de auxilio Dei in animis suorum excitando. Factis ipsis gloriam Deo dedit Gedeon, cum primum coacto xxxij. millium exercitu cxxxv. Medianitarum millibus opponere se ausus fuit. Fuit enim illa non parua Fides. Mox autem quia videbantur Israëlitæ adhuc gloriandi occasionem habituri, si tanto numero hostes suos vicissent, Dei iussu tantum decem millia retinuit, ceteris domum redire iussis, in quo multò etiam magis Deum glorificauit, Deo nimirum *dante gratiam pro gratia*, & fidem ipsius subinde adaugente. Sed quoniam adhuc amplius gloria Dei illustrari potuit, non nisi ex omnibus copijs trecentos milites, eosq; ignauissimos retinuit. Postremò vt plenissimè Deo daret gloriã, ipse vno tantum armigero comitante in hostium castra, *vbi erat statio* siue armatorum vigiliæ, descendere nihil dubitauit, facto ipso professus, quod Dauid postea verbis fecit: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Dominus enim protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Psal. 26. Est autem insignis glorificandi Dei ratio, si quis ita sit animo affectus, vt etiam si Deus opẽ ei ferre nolit, ipse tamen mori potius statuat, quam Fidem de omnipotentia solius Dei deserat, aut spem in vlla re creata collocet. Exemplo nobis sunt tres viri illi Daniel. 3. qui statuam Regis adorare iussi, nisi in Caminum ignis mitti vellent, constanter responderunt: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis, quod si tamen noluerit, notum sit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam tuam non adoramus.* Hoc erat magnam Fidem, cum ingenti vitæ pro Dei gloria amittendæ desiderio coniunctam habere, quod & in Ioab principe Exercitus Dauidici animaduertimus. 1. Paral. 19. Intelligens enim *bellum ex aduerso, & post tergum contra se fieri*, ad fratrem & collegam conuersus: *confortare* (inquit) *& agamus viriliter pro populo nostro, & pro vrbibus Dei nostri*, quasi dicat: Habemus cur in Fide de auxilio Dei corroboremur, neq; de victoria quicquam dubitemus, cum Dei gloria hoc bello agatur. *Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet.* Sic Iudas Machabæus non minùs pro Dei causa mori promptus, quàm auxilij diuini fiducia plenus, ad milites suos: *Accingimini*, inquit, *& estote filij potentes*, siue robusti, & confortati in fide, *vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt aduersum nos, disperdere nos, & sancta nostra: quoniam melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum*, siue Religionis. *Sicut autem fuerit voluntas in cælo sic fiat.* 1. Mac. 3. Omnes porrò resuscitandæ fidei

Factis dare gloriam Deo.

Et verbis & factis dare gloriam Deo.

Vtinam ita animati fuissent Catholici in transactione Passauiensi

fidei rationes psalmo 43. simul nobis repræsentatur, memoria rerum, à Deo miraculosè pro populo suo gestarum, humiliatio sui ipsius, Dei deniq; quà verbis, quà factis glorificatio. *Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus antiquis. Manus* nempe, siuè potentia *tua disperdidit gentes, & plantasti eos*, patres nostros. *Non enim in gladio suo possederunt terram, & Brachium eorum non saluabit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.* Hæc ergo nos audientes ac legentes, Fidei gratiam, quæ est in nobis resuscitamus, similiterq; arcu, & gladio aduersus hostes nostros armati, non tamen ad arma, viresq; nostras cor apponimus, sed solo auxilio tuo nitimur. *In te inimicos nostros ventilabimus, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Non in arcu meo*, ego populus tuus, *sperabo & gladius meus non saluabit me. Tu saluabis nos de affligentibus nos, & odientes nos confundes. In Deo laudabimur*, ac victores celebrabimur *tota die, & nomen tuum cōfitebimur in sæculum* tibiq; victoriam referemus acceptam. Cum verò tanta iam sit Fides nostra, tu gloriam tuam magis illustrare cogitans nobisq; materiam exercendæ, & apertius declarandæ Fidei suppeditaturus, nunc ad tempus *repulisti*, & confudisti *nos, & non egredi [illegible] les in virtutibus nostris*, siue copijs nostris victoriam tribuere distulisti. *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, quos cum persequi vellemus, tu fugam nobis iniecisti. Posuisti nos opprobriū vicinis nostris. Humiliasti nos in loco afflictionis; propter te mortificamur tota die.* Nihilominus nos constantes in Fide nostra permansimus, & corroborati sumus: *nec obliti sumus te, & non recessit retrò cor nostrum, nec declinauerunt gressus nostri à semita tua*: & nihil quod ab officio nostro alienum foret, metus hostium nobis extorsit, sed neq; in medijs humanis, hoc est, in nostris copijs, in amicorū auxilijs, in nostra rei militaris peritia, vllam fiduciam posuimus, quod esset Dei velut obliuisci, aut certè collegam ei dare, tamquā is solus victoriam tribuere non posset. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum; non ne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis*. quòd nimirum honorem eius illibatum conseruemus, atq; *etiamsi nos occiderit, in ipso tamen solo sperare*, neq; ad vllam rem creatam opis credendæ causa confugere velimus. Hoc ergò modo qui affecti sunt, & Fidem constanter retinent, neq; gloriam vni Deo debitam cum rebus creatis, communicant, his Deus ipse adauget Fidem, tantumq; eius incrementum largitur, vt *signum cum eis in bonum* tantum non *facere* cogatur. Sed etiam si quis à principio Deo innixus fuerit, posteriùs tamen periculorum imminentium specie

Dis̄tiz hinc Catholici Germani quid vobis aduersus Hæreticos faciendum.

Considerantes vetera exempla.

In Deo confisi bellum gerant.

Etiamsi aliquādiu à Deo deseri videantur.

Nō tamen sibi victoria abijciant.

Neq; ad media ordinaria confugiant.

Iob. 13.

Fidem magnā constanter retinere oportet.

 periculus

perculsus Fidem, velut rectum clauum amittat, eoq; pacto Dei gloriam minuat, non habet cur ex sententia sibi processurum existimet. Eius rei Petrus Exemplo est. Matth. 14. Iussus enim ad Christum super aquas ambulans accedere, primum ingenti fide plenus de nauicula descendere, & per mare pedibus incedere nihil formidauit. Sed mox *videns ventum validum* de Christi omnipotentia dubitare, ac propterea pessum ire *mergiq; cœpit*. Itaq; Christus ad illum: *Modicæ fidei* (inquit) *quare dubitasti*? Nimirum Petrus, si verum quærimus, Fidei gratiam, quæ in ipso erat, neglexerat, neq; resuscitare curauerat, alijs nempe Christi miraculis in memoriam sibi reuocatis, in primis illo, quod Matth. 8. describitur, cum ingentem maris æstum solo verbo sedauit. Huiusmodi enim resuscitandæ, & augendæ fidei rationem ipse discipulos docuit Matth. 16. *Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes non habetis*? id est, quare soliciti estis de panibus, ac non creditis, me, quot velim panes, etiam verbo creare posse? *non recordamini quinq; panum quibus quinq; millia hominum cibaui, neq; septem panum in quatuor millia hominum?*

Petrus super aquas ambulans mergitur.

Quia gratiã Fidei non resuscitauit.

Reuocando in memoriã prio ra miracula.

C A P. XVII.

DEniq; si bene calculum ponimus, nullum ex omni memoria exemplum commemorari potest, hominis bello superati, qui instam causam Deo solo fretus, & corde perfecto in eum credens tueretur: nec enim fallit vnquam, quod vniuersè Propheta affirmat: *Oculi domini contemplantur vniuersam terram, & fortitudinem præbent his, qui corde perfecto credunt in eum.* 2. Par. 16 Vtrum verò quis in Deum perfectè credat, neq; magnam fiduciã suæ partem in humanis victoriæ parandæ instrumentis collocet, id rectissimè Deus ipse cordium arbiter perspicit. *Non enim oculi carnei sunt ipsi, nec sicut videt homo, & ipse videt*, Iob. 10. *Homo namq; videt ea quæ parent, dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. Itaq; cæsi fuerunt Israelitæ à Philistæis, tametsi arcam fœderis domini in castra afferendam curassent, seq; de manu inimicorum saluatum iri crederent. 1. Reg. 4. Vidit enim Deus eos ita affectos esse, vt qui Deo, nisi per Arcam, auxilij ferendi rationes nullas esse crederent, quod erat omnipotentiam Dei circumscribere, eiusq; gloriam non mediocriter imminuere. Itaq; meritò Deus homines tam parum fidei de omnipotentia sua habentes ab hoste cædi fecit, sicut & posteriùs offensam non dissimulauit, cùm populus Regem, qui semel in bellum proficisceretur, seq; ab hostibus liberaret, petijt, quasi Deus aliter, quam opera Regis tueri

Nemo vnquã fide bellum gerens victus fuit.

Sed nõ omnes fidem habent, qui hominibus videntur Fide præditi.

cos

eos non posset: quamuis & propter Arcam tam parùm reuerenter habitam, & populari auctoritate, inuito, vt apparet, Pontifice, in castra arcessitam plecti meruerint. Id enim perinde erat, ac si quis hodie ab infideli, aut Hæretico Rege Fidei causa ad ignem condemnatus, Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum à Sacerdote communionis causa acceptum occultet, eoq; fretus flammas contemnat. Quamuis enim prima facie magna fide præditus videri queat, nihilominus cùm & Sacram Hostiam indigniùs tractet, neq; nisi hoc modo Deum auxilio sibi esse posse existimet, itaq; parum admodum diuinæ omnipotentiæ tribuat, meritò à Deo destituitur. Postremò si quis secum cogitet, quis tum Israelitici populi status, quiq; mores fuerint, Arcam fæderis capi, ac Philistæos vincere, Gloriæ diuinæ, cuius causa miracula fiunt, non mediocriter retulisse inueniet. Israelitæ enim Sacerdotum filiorum Heli, auaritia & libidinibus offensi *cessauerant à Sacrificio Domini*, multiq; deuotione erga Deum refrigerata in Idololatriam lapsi fuerant, & Baalim atq; Astaroth colebant, quemadmodum omnibus sæculis vsuuenisse comperimus, vt contemptus Sacerdotum, ex improba ipsorum vita ortus, pietatem plerorumq; restingueret, ac vel religionis mutationem, vel Atheismũ deniq; induceret. Quod si ergo victores discessissent Israëlitæ, nihil se peccasse credidissent, neq; minùs deinceps, quam priùs, negligendi cultus diuini causam satis iustam sacerdotum nequitiam putassent. Deus ergò, vt gloriam suam vindicaret, ac non Israëlitas tantùm, sed nos etiam (quorum causa Apostolus ista scripta fuisse affirmat Rom. 15. 4. & 1. Cor. 10. 11.) propter Sacerdotum scandalosam vitam, nequaquam à cultu Dei, & ab ipsa Sacerdotum communione discedendum esse doceret, vt multa Israëlitarum millia eo prælio cæderentur, & Arca caperetur, permisit: siquidem ne quam ea ex re gloria sua iacturam faceret, periculum haud esse nouerat. Non enim Israelitæ modo, sed ipsi quoq; Philistæi de potentia Dei ex rerum antiquitus gestarum memoria satis certi erant. Itaq; cum Arca in castra venisset, *vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra. Timuerunt autem Philistæi, & ingemuerunt dicentes: væ nobis: quis nos seruabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dij, qui percusserunt Aegyptum omni plaga.* Quoniam ergo omnino nos vinci oportet, agite *confortamini, & estote viri: ne seruiatis Hebrais, sicut illi seruierunt nobis*: id est, satiùs nobis est, fortiter occumbere, quam istis ignauissimis hominum, qui tamdiù nobis tributarij fuerunt, subijci. Etiamsi autem Israelitæ vincerentur, fore tamen Deus sciebat, vt id tam Philistæis, quam ipsis, non propter suam imbecillitatem, sed propter peccata ipsorum conti-

Potissima causa cur Israelitæ à Philistæis victi, & Arca capta fuerit.

Propter Sacerdotum improbitatẽ non est à vera religione discedendũ.

I 2 gisse

gisse videretur. Nam etiam Gentiles, Israëlitarum vicini, eos, quamdiù Deo suo propitio vterentur, omnino inuictos esse credebant, velut ex oratione Achior, Ducis Ammonitarum quam apud Holofernem Iudith 5. habuit, apparet. *Perquire*, inquit, *si est aliqua iniquitas eorum, in conspectu Dei eorum: & adscendamus ad illos, quoniam tradet illos tibi Deus. Si verò non est offensio eorum coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersa terra*. Sed si gloriam Deo Israëlitæ dedissent, ac peccatum suum humiliter confessi essent, vt alias semper, ita tunc quoq; Fide hostes superassent. Quare non est, Imperator, cur Ecclesiam aduersus Hæreticos defensurus, de quocumq; belli instrumento & apparatu plus, quam de resuscitanda fidei gratia, quam in te esse dixi, cogitare velis. Brachium non alio, quam corporis sui spiritu ad stringendum gladium, hostemq; proterendum mouetur. Sat ergo roboris habebis, si Spiritu Fidei, quem in corpore suo, siue Ecclesia Christus posuit, te indueris. *Non in Exercitu, neq; in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus*, Zach. 4.

Cæsar aduersus Hæreticos bellaturus, qua de re potissimùm solicitus esse debeat.

Tertium Suasoriæ membrum, quæ pœna Cæsarem, & familiam eius mansura sit, si Hæreticis parcat, neq; hoc consilio vtatur.

CAP. XVIII.

Nulla re grauius Deum offendere potest Cæsar, quam parcendo Hæreticis.

QVòd si autem Granuelani ac similium carnis prudentia præditorum consilia secutus, Dei & Ecclesiæ inimicos parum oderis; ac dum inanem falsæ clementiæ gloriolam colligas, siue tibi, ac Dei auxilio subdiffidens, aut etiam tuorum ambitioni nimium indulgens, in Hæreticos vltorem gladium stringere dubites, aliosq; plures ab eis corrumpi, & in perpetuum animæ corporisq; exitium abduci patiaris: tametsi quomodo id accepturus sit Deus, coniectura de animo tuo ducta facilè sponte tua intelligere potes, haud tamen alienum fuerit, nonnulla eorum Exempla, quibus similia consilia malè verterunt, ex sacris literis tibi recitari. Heli summum Sacerdotem ac populi Israëlitici Iudicem scire potes, virum sine omni malitia, imò Sanctissimum fuisse, & Pontificatum sua in Deum pietate meruisse, nec enim hereditario iure consecutus eum fuerat, cum ab Athamar filio Aaronis, non ab Eleazaro fratre originem duceret. Huius filij quod essent *filij*

Exemplū Heli & filiorū eius.

Belial

Belial, ac velut paulò prius audisti, auaritia luxuriaq; sua populi animos offenderent, & à Sacrificio Domini detraherent, patrisq; iam grandæui monita contemnerent, vt Deus non ipsis modo, sed & patri grauissimè succenseret, ac dignitatem Sacerdotij virtute partã ab ipsorũ familia in perpetuum auferret impietate sua meruerunt. Audire est operæ pretiũ, quibus verbis Deus offensã suam declaret: *Loquẽs*, inquit, *locutus sum, vt domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo, & impinguaretis vos primitijs omnis sacrificij populi mei, vsq; in sempiternum. Nunc autẽ absit hoc à me: sed quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles & contempti. Quia igitur magis honorasti filios tuos, quam me, cumq; nouisses filios tuos indignè agere, eos non corripuisti* (ea quidem verborum grauitate, & efficacia quam res postulabat) *præcidam brachium tuum, & Brachium domus patris tui, & pars magna domus tuæ morietur cũ ad virilem ætatem venerit, neq; expiabitur iniquitas domus tuæ victimis & muneribus vsq; in æternum* 1. Reg. 2. & 3. Habes ergò Imperator, cur metuas, ne Imperium ob virtutem, in primisq; pietatem, & catholicæ fidei zelum domui tuæ datum ab eadem transferatur, si plus domum tuam, quam dominum honoraueris, hoc est, si propterea vt Imperium in familia tua constabilias, plus quam par est, Hæreticorum principibus indulseris, ac populos tuę fidei commissos, à vero Dei cultu abduci, itaq; gloriam diuinam imminui permiseris. De Rege Saule 1. Reg. 15. legimus, eum à Deo huiusmodi mandatum accepisse; *Recensui, quæcumq; fecit Amalec populo meo, nunc ergò vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: nec parcas ei, sed interfice à viro vsq; ad mulierem, & paruulum atq; lactantem, bouem & ouem, camelum & asinum*: Sed postea victis, & internecione cæsis Amalecitis, neq; Regi eorum, quem viuum ceperat vitam eripuisse, *& optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus & vniuersis, quæ pulchra erant, pepercisse*, peremptis reliquis, *quæ vilia essent, ac reproba*. Causa neglecti diuini mandati fuit partim, Inanis gloria, quod Regem bello captum non occidisse, sed seruasse, Clementiæ opinionem sibi apud omnes conflaturum iudicaret, seq; pium ac deuotum plerisq; visum iri, si ouium greges & armenta Deo sacrificasset, confideret: partim Metus populi, quem propter auaritiam prædæ inhiare intelligebat, neq; sine seditionis ac motus periculo ea prohiberi posse iudicabat, quemadmodum posteriùs à Samuele obiurgatus confitetur: *peccaui* inquit, *quia præuaricatus sum sermonem domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum*. Quod si vanam illam Clementiæ ac pietatis gloriolam non plus amasset, quam obtemperationẽ mandato Domini, dubium

Intelligite Austriaci Principes & erudimini.

Exemplum Saulis.

En clementia Austriaca.

Ecce metus subditorum Hæreticorũ.

Cur Sauli non obtigerit donũ magna Fidei.

dubium non est, quin ei Deus spiritum Fidei ac roboris daturus fuerit, vt eius auxilio fretus vniuersum Exercitum non modo nihil timeret, sed suo etiam terrore à petenda ex Amalecitarum rebus præda depelleret, quemadmodum ei priùs adhuc nouitio Regi contigisse 1. Reg. 11. hæc nos verba docent: *Insiluit spiritus Dei in Saul, cum hostium postulata audisset, & iratus est furor eius nimis. Et assumens binos boues concidit in frusta, misitq; in omnes terminos Israël, per manus nunciorum dicens: Quicunq; non secutus fuerit me ad bellum, sic fiet bobus eius. Inuasit ergò timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus, trecenta & triginta millia.* Hunc spiritum Sauli tribuit Deus, *cum adhuc esset paruulus in oculis suis, velut filius vnius anni* (1. Reg. 13. 1. & 15. 17.) sed postquam *cor suum exaltauit* Deiq; mandato gloriam suam potiorem duxit, spiritus Fortitudinis, siue Fidei ab eo recessit vsq; eò, vt ipse populum timeret; ac mox *arripuit*, & exagitauit *eum spiritus Dei malus*, siue Diabolus (1. Reg. 16. 14.) atq; insuper Dei sententia Regni iure in perpetuum deiectus est. *Quasi scelus Idololatriæ est*, (ait ei Samuel) *nolle acquiescere* siue obedire: *Pro eo ergò, quod abiecisti sermonem domini, etiam abiecit te dominus, ne sis Rex super Israel: sciditq; regnum Israël a te, & tradidit illud proximo tuo, meliori te.* Hoc memorabili exemplo monitus etiam atq; etiam, Imperator, cauebis, ne si quando tuos ac Dei perduelles, diuino ac humano iure mori iussos, in potestatem tuam redegeris, siue clementiæ famam aucupabundus, siue inimicitias aliorum, quibus illi amicis & confœderatis vtuntur, pertimescens eis parcas, & gladium in vindictam malorum tibi ab Ecclesia datum, sic feriatum geras. Vt enim mitiore, quam Saul, pœna afficiaris, saltem vt quod Regi Achab similem ob causam Deus comminatus fuerat, in te tuisq; aliquando sentias, periculũ est. qua de re 3. Reg. 20. hæc leguntur: *Cum Benadad Rex Syriæ prælio ab Israëlitis Dei gratia victus fugeret in Ciuitatem dixerunt ei serui sui: Ecce audiuimus quod Reges Domus Israël clementes sint* (quasi dicant: pro ingenita Austriacæ domui clementia non facile animum inducunt, vt hostes, ac rebelles suos debitis supplicijs afficiant, sæpiusq; periclitari, quàm semel securitati suæ consulere malunt.) *ponamus itaq; saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israël: forsitan saluabit animas nostras.* Quod cum ita fecissent, Achab cui pulchrum, ac gloriosum videretur, Regi capto parcere, non modò vitam ei non ademit (quamuis id vnum modò rogatus fuisset.) sed etiam fraternam vltro beneuolentiam detulit, ac fœderatum à se dimisit. Porrò lucrum, quod ex sinistra sua clementia facturus erat, his Prophetæ verbis continetur: *Hæc dicit dominus, Quia*

Quod tamen prius ei contigerat.

Maiestatis bello captis nequaquam parcendum.

● Principes Austriaci quã & vobis & Ecclesiæ fraudi est vestra clementia?

Rex Achab gloriosum putabat suam clementiam Austriacam prædicari.

Sed id pessimè ipsi vertit.

Quia dimisisti virum dignum morte, de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Similem fore Israëlitarum rationem, si Cananæis occidi iussis pepercissent, & prædixerat Deus, & euentu postea fuit comprobatum. Verbi gratia Deut. 7. *Cum tradiderit tibi dominus gentes istas, percuties eas vsq; ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, ne sint in ruinam tui. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ, quam ego, quomodo potero delere eas? noli metuere, quia Deus in medio tui est, tradetq; Reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cœlo.* Exodi 34. *caue ne vmquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, ne sint tibi in ruinam:* Deut. 20. *Cum ciuitatibus, quæ à te valdè procul sunt fœdus inire poteris. De his autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, ne forte vobiscum habitantes doceant vos facere abominationes, quas ipsi operati sunt Dijs suis,* siue ne in suam religionem vos abducāt. Num. 33. *Si nolueritis interficere habitatores terræ, erunt vobis quasi claui in oculis, & lancea in lateribus, & aduersabuntur vobis in terra habitationis vestræ, & quicquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.* Ios. 23. *Si volueritis cum Gentibus his amicitias copulare, iam nunc scitote, quod dominus non deleat eas ante faciem vestram, sed erunt vobis in foueam ac laqueū, & offēdiculum ex latere vestro:* id est: Deus præcepit vobis, vt nequaquam tributarias vobis faciatis gentes istas, *sed occidatis omnem animam viuentem.* Sin autem contempto Dei iussu, siue misericordia ducti, siue propter metum potentiæ earum, & diffidentiam diuini auxilij eis peperceritis, faciet Deus, vt posteriùs etiam cum volueritis delere eas nequeatis, & ipsę vobis semper erunt scandalo, & in religionem suam vos perducent, neq; etiam vllo tempore vos quiescere sinent, quin commouendis turbis, ac seditionibus negocium vobis exhibeant. Iudic. 2. quia cum possetis interficere habitatores terræ huius bello victos, quemadmodum vobis præceperam, tamen id facere noluistis, sed fecistis eos vobis tributarios: *propterea nolo delere eos à facie vestra* etiamsi iam velitis, *vt habeatis hostes, & Dij eorum sint vobis in ruinam. Experiar vos in his ipsis gentibus vtrum custodiatis viam Domini* (quemadmodum Paulus de Hæreticis scribit eos à Deo relinqui, vt in ijs experiatur, ac probet Catholicos, vtrum custodiant viam Domini, & ex Ecclesia non exeant. 1. Cor. 11. *Oportet & Hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*) Iud. 3. *Hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum Iosue duce gesta, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem prœliandi; vtq; in*

Deus hæreticos omnino iubet deleri.

Et populo suo auxilium miraculosū promittit.

Cum Turcis, non cum Hæreticis fœdus facere possūt Catholici.

Qui parcunt Hæreticis, quid lucri expectare debeant.

Recognoscite Catholici Germaniæ Ordinesdiuini veritatem Oraculi.

ipsis experiretur Israelem, vtrum audirent mandata domini; an non, hoc est, vtrum in veteri sua Religione permanerent, an se se à Gentilibus peruerti paterentur. Euentus porrò quis fuerit, sic ibidem exponitur. *Habitauerunt filij Israel in medio Gentilium* (quibus prius pepercerant, ac fœdus cum eis fecerant) *& duxerunt vxores filias eorum, & obliti sunt Dei sui, seruientes Baalim & Astaroth Dijs eorum*. Hoc ergò primum lucri ex toleratis Chananæis fecerunt, vt maior ipsorum pars in Hæresin, falsamq; religionem concederet. Aliud lucrum fuit, quod numquam ferè cùm ab alijs, tùm ab ijs ipsis, quibus pepercerant, securi viuere potuerunt, sed subinde armis aduersus eos experiri necesse habuerunt, plerumq; etiam in seruitutem diuturnam & iniquissimam redacti sunt. Iud. 3. *Seruierunt Regi Mesopotamiæ octo annis: Et postea Regi Moab decem & octo annis*. Iudic. 4. *Iabin Rex Chanaan per viginti annos vehementer eos oppressit*. Iudic. 6. *Oppressi sunt valdè à Madianitis septem annis*. Iud. 10. *Tradidit eos Dominus in manus Philistæorum. & Ammonitarum afflictiq; sunt, & vehementer oppressi per annos XVIII*. Iud. 13 *Tradidit eos in manus Philistæorum XL. annis* 1. Reg. 4. *Pugnauerunt Philistæi, & ceciderunt de Israel* XXXIV. *millia peditum, & Arca Dei capta est*. 1. Reg. 13. *faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel. Cauerant enim Philistæi, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Cumq; venisset dies prælij, non est inuentus ensis & lancea, in manu totius populi, qui erat cum Saule; excepto Saul & Ionatha filio eius*. 1 Reg. 14. *Erat bellum potens aduersum Philistæos omnibus diebus Saul* 2. Reg. 8 *Percussit Dauid Philistæos, & humiliauit eos, tulitq; frenum tributi de manu Philistæorum*. Vnde discimus, Israelitas sub Ducibus Samsone, Heli, & Samuele, itemq; sub Rege Saule tributum Philistæis pendere solitos, & Dauidem primum fuisse, qui hoc, velut frenum ex manibus Philistæorum excusserit, populumq; in libertatem vindicarit.

Idem lucri vos Germani catholici ex pace Religionis fecistis.

CAP. XIX.

Qvapropter cum ijs quidem, *qui valde procul à nobis sunt, &* à quibus propter nimiam religionis dissimilitudinem periculum non est, ne in errorem inducamur, tamquam cum Mahumedanis, Ethnicis, & Hebræis, fœdus tibi facere, Imperator licèt: non item cum Hæreticis, qui vicini sunt, qui quod pleraq; nobiscum habeant communia, facilè nos ab auita religione ad nouitates suas, carni præsertim blandientes, possunt abducere. De his prædictum est fore, *vt velut spina euellantur vniuersi, quas*

ſi quis tollere voluerit, manus ſuas armabit ferro, & ligno lanceato, igneq́, ſuccenſas comburet vſq; ad nihilum. 2. Reg. 23. Quæ cum eos Deus in manus tuas tradiderit, *percuties eos vſq́, ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum.* Sin autem clementiæ famam aucupaberis, aut etiam amicos eorum formidabis, eoſq; cum poteris, occidere non ſuſtinebis, faciet Deus, vt poſtea cum occidere eos volueris, nequaquam poſſis, eruntq; tibi ac poſteris, ſucceſſoribusq; tuis in foueam, ac laqueũ & offendiculum ex latere veſtro, & aduerſabuntur vobis in terra, & religio eorum erit populis veſtris in ruinam, vt plurimi Hæreſin illorum amplectantur: cui conſequens erit, vt vos partim ipſi, partim Turcæ, & infideles continuis bellis exerceant, ſibiq; tributum pendere ſubigant, donec aliquis Dauidico ſpiritu præditus de medio veſtri exſurgat, qui frenum tributi de manu inimicorũ veſtrorum tollat, & *facientes prauaricationem oderit ac perſequatur omneſq́, operantes iniquitatem, & peccatores terræ,* qui terram ſcilicet Hæreſi ſua inficiunt *in matutino interficiat, & de ciuitate domini diſperdat,* quod Dauid ſe facere ſolitum pſalmo centeſimo gloriatur. Vt autem neq; præcepta, neq; exempla Hæreticorum de medio tollendorum tam illuſtria haberes, certè auiditas eorum, qua Catholicorum, præcipuèq; Eccleſiaſticorum bonis inhiant, atq; in poſterum multò etiam magis, vt apparet, inhiabunt, vt maturè, & quemadmodum Dauidem de ſe profitentem modò audiuimus, *in matutino* eos diſperdas, tibi perſuadere debet *Capite vobis Vulpes paruulas* (præcipitur vobis Regibus, *Dei venatoribus* Ierem. 16. 16.) *quæ demoliuntur vineas,* ſiue vaſtant Eccleſias ac Monaſteria, Cantic. 2. Cur autem, dum adhuc paruulæ ſunt, capi eas præſtet, poetarum neſcio quis hanc reddit rationem, quia

Laqueo vetuſta non capitur vuulpecula,
Capitur quidem illa, capitur autem ſeriùs,

Primùm enim viribus augentur, cum, quod fieri ſolet, alios ſiue veri ſpecie, ſiue ſpe prædæ obiecta, ineſcatos in erroris & Hæreſeos ſuæ ſocietatem pellexerint, atq; tum Exemplo Ericij illius, quem Lepuſculus precibus ſupplicis delinitus in cauum ſuum receperat, legem ab hoſpite non accipiunt, & more, atq; ingenio ſuo vſi, Catholicos, ſi minus ſe ferre queant, exire iubent. Ad hæc quoniam multiplicantur ac liberis augentur, fieri neceſſe eſt, vt ſibi in dies magis aliena concupiſcant, nam *vnde habeas quærit nemo ſed oportet habere.* Poſtremò etiam propterea fidem tibi datam non ſeruabunt, qui parentibus his naſcentur, quibuſcum tu fœdus facere Granuelani monitu ſuaſuq; voles, quia cum haud ipſi primùm compendij quæſtuſq; ſui cauſa, velut parentes, ex Eccle-

Deus Hæreticos ſine miſericordia ferro, & igne tolli iubet.

Hæretici in matutino, ſeu maturè tollendi.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

sia exierint, sed errorem simul cum lacte nutricis hauserint, neq; iam vulpeculæ, sed Verueces sint (quamuis cornupetæ & satis ferοculi) ac Lutheri doctrinam sine fraude, ac dolo amplexi teneant, nostram quidem Religionem ingentibus calumnijs ac mendacijs apud ipsos traductam oderint, nequaquam sibi religioni ducent, quamprimum dabitur occasio, à pactis conuentis discedere, quippe quibus aut nostram, quam putant, Idololatriam stabiliri, aut verum Dei cultum, quem apud se seruari persuasum habent, impediri, vtrouis certè modo Deum grauiter offendi existimant. Didicerunt enim à Luthero, nos Papistas esse *Aegyptios*; ac velut iniustos Ecclesiasticarum opum possessores sine peccato spoliari posse, *eosq; demum esse dilectos Dei filios, verosq; Christianos, qui vitam, opes, atq; famam eò conferant, vt Episcopatus deuastentur, & omne Regimen Episcopale penitus tollatur: illos vicissim, qui Episcopis pareant* (te puta, Imperator, ceterosq; catholicos omnes, in primis Reges, atq; Principes) *esse peculiaria Satanæ mancipia & hostes ac perduelles legis diuinæ; & quicquam facere, quod Lutheranismi incrementa coerceat, progressumq; sistat & impediat, esse Tyrannidem, cui ipsi sumptis armis se opponere debeant: Omnem quippe Papistarum potestatem censum, ius & Magistratum exspirare, & abrogari ab ipso Deo, quamprimùm aliquid agunt, quod Euangelio ipsorum aduersetur.* Itaq; non est Imperator, quod in posteritatem aliud à Lutheranis, quam rebelliones, motus, Catholicorum vexationes, & Ecclesiarum, ac Monasteriorum direptiones exspectes, nisi Vulpes paruulas, priusquam corroborentur, ceperis, & in matutino peccatores terræ disperdideris.

Protestantes putant se salua conscientia Pacem religionis violare posse.

Sic enim Lutherus docuit Vide Ecclesiastici cap. 16 & 17.

2. Par. 16. Cum Rex Israël Ramam Iudeæ ciuitatem obsidione premeret, misit Asa Rex Iuda aurum, & Argentum ad Regem Syriæ, vt is rupto fœdere, quod cum Rege Israël habebat, in prouinciam eius inuaderet, eumq; sic obsidionem soluere cogeret, quod cum ex sententia processisset, venit Propheta ad Asam, & dixit ei: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in domino Deo tuo, iccirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua* (quem alioquin Israëlitis suppetias aduenientem cæsurus, Syriamq; tibi subacturus eras.) *stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore, aduersum te bella consurgent. Maledictus enim homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius, ac derelinquit venam aquarum viuentium Dominum*, Ier. 17. Idem tibi, Imperator, vsu venturum noueris, si cũ Hæreticis, & Schismaticis fœdus feceris, eorumq; aduersus alios Hæreticos auxilijs vsus fueris. Non enim ipsi modò de manu tua euadent, (quos alioqui simul cum ceteris Deo fretus superare poteris.)

Hæreticorum auxilijs nequaquã vtendum.

Maledictus qui in euenda Dei gloria impijs auxiliarijs vtitur.

poteris.) sed vndiq; etiam bella aduersum te consurgent, neq; ij ipsi, in quibus confisus fueris, te quietum esse sinent, quin nouis subinde rebellionibus tibi ac posteris tuis negotium facessant.

O Carole, ô Austriaci, quam hæc verè dicta euentus vos docuit?

2. Paral. 20. & 3. Reg. 22. *Irruit pauor Domini super vniuersa regna terrarum, cum audissent, quòd pugnasset Dominus contra inimicos Iosaphat, ac populi eius. Post hæc iniyt amicitias Iosaphat cum Ochozia rege Israël, cuius opera fuerunt impijssima* (nam præter binos vitulos aureos, etiam Baal adorauit, siue non tantùm Augustanam confessionem, & Apologiam, sed & Zuinglianismum sectatus est) *Et particeps eius fuit Iosaphat, vt faceret naues, quæ irent in Ophir propter aurum, feceruntq; classem, in Asiongaber. Venit autem Propheta ad Iosaphat dicens: quia habuisti fædus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua. Confractaq; sunt naues, nec potuerunt ire in Ophir.* Vides, Imperator quanti ad rerum omnium prosperitatem referat, in solo Dei auxilio confidere, neq; eorum, qui Deum, siue veram religionem oderunt, amicitijs implicari. Cùm enim audisset Iosaphat, ingentem hostium multitudinem in se ingruere, nequaquam ad affinem suum Israëlitarum Regem, vt sibi auxilio veniret, misit, tametsi Israëlitis opem ferentibus se copiarum numero atq; robore multò inimicis superiorem fore intelligebat, siquidem ipse solus vndecies centena, & sexaginta fortissimorum militum millia in aciē educere poterat (2. Paral. 17.) sed quod sciret non in robore exercitus bella consistere, & Israëlitas velut Hæreticos Deo exosos esse, *totum se contulit ad rogandum Dominum* eiusq; extraordinario, & miraculoso auxilio adiutus omnibus vicinis terrori esse cæpit. Postea verò quàm felicitate nimia ebrius Israëlitas Hæreticos minùs odit, & propter affinitatem cum eorum Rege prius contractam, suam classem cum ipsorum classe emittere nihil dubitauit, Deus vt odium Hæreticorum sibi debitum memorabili exemplo sanciret, naues eius vniuersas perdidit, ac ne Cataplus Indicus speratum aurum apportaret, impediuit. Itaq; caue, Imperator, ne cum Hæreticis illis tuis affinibus, Christierno Daniæ & Henrico Angliæ Regibus fædus facias, aut quicquam rei commisceas, vt vel illos aduersus hostes suos iuues, vel auxilijs eorum aduersus tuos hostes vtaris. Terreat te confracta Regis Iosaphat classis, auriq; Indici iactura: terreat te illa Prophetæ vox, quæ eundem Regem sic obiurgauit: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, ac propterea iram Domini mereris.* 2. Paral. 19. Personent aures tuæ verbis illis, quæ ad Regem Amasiam homo Dei 2. par. 25. fecisse legitur: *O Rex ne egrediatur tecum exercitus Israelitarum,* ad subdomandos rebelles tuos. *non est enim Dominus cum Israel, & cunctis filijs*

Duo Vituli Lutheranorum, & Baal Caluinistarum.

Iosaphat Hæreticorum auxilium repudians miraculosè vincit.

Sed cum Hæreticis se coniungens classem perdit.

Cataplus Ciceroni est La flotta.

Carolus V Regi Iosaphat similis.

Lutherani Israelitis.

Ephraim

Ephraim, quippe qui Sacerdotes Dñi eiecerint, aliosq; de nouissimis populi, Sacerdotes ipsi sibi constituerint. (2. Par. 11. & 13.) *sintq; absq; Deo vero, & absq; Sacerdote doctore, & absq; lege* (2. Par. 15.) *Quod si autem putas in robore exercitus bella consistere,* ac propterea infidelium, & Hæreticorum auxilijs tibi vtendum esse, *superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere.* DIXI.

Ego D. Augustinus Valerius Papiensis Congregationis Somaschæ Religionis S. Maioli Papiæ Clericus Regul. Theol. Consultor S. Officij, & librorũ reuisor supradictũ Consilium Regium *Gasparis Scioppij cõsiliarij Regij, de mandato Adm. Reuer. P. Vicarij S. Officij Regiæ Ciuitatis, & Principatus Papiæ, diligentissimè recognoui, & non tantum nihil in eo deprehendi, quod aut bonis moribus, aut Catholicæ Veritati aduersetur, aut iure in cõtrouersiam Verti possit, demũ quod non sacr. scripturæ, Summorũ Pontificũ, Vel Sanctarũ General. Synod. testimonio confirmetur, sed omne etiã lectione, & memoria dignũ inueni, quemadmodũ & annexũ* Classicum Belli Sacri *omnibus quidem perutile.*

Imprimatur vterq; liber.

Fr. Iacobus à Martenisio Vic. Gener. Inq. Papiæ.

Papiæ, ex Typographia Petri Bartoli, 1619.